



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XXIX. De sepulturis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

## TITULUS XXVIII.

## De Sepulturis.

## CAPUT I.

## De loco Sepulturis destinato, eoque concedendo aut denegando, deque jure interveniendi funeribus &amp; participandâ portione Canonica debitâ ratione funeris.

Quaest. 790. Sepultura quid sit?

**R** Esp. Sepultura juxta *Can. Aurum. caus. 12. q. 2. & c. 3. h. t.* accepta pro loco in quo cadavera sepeliuntur (dum aliis etiam sumitur pro jure sepeliendi corpora mortuorum. Arg. *Clem. 2. b. t.* uti & pro actu, officio, ritu impenso corporibus humanis juxta *c. 105. caus. 1. q. 1.*) describi potest cum *Gl. in C. 14. caus. 13. q. 4. v. Siterram & Abb. in rub. h. t. num. 1.* quod sit locus religiosus ex eo, quod sit autoritate publicâ & benedictione Episcopi ad sepulturam fidelium deputatus. Tametsi enim olim & hodieum adhuc juxta jus civile. *L. 2. c. de religiof. & sumpt. funer. §. nullius. & §. religiosum. Inst. de rer. divis.* ex eo præcisè evaderet locus religiosus, ita ut piâ reverentiâ dignus extra commercium esset adeoque vendi nequiret, quod eo corpus hominis mortui (vel etiam ossa illius aut solum caput tanquam pars principalis hominis, non verò alia illius partes, ut *Lauterb. in ff. cit. tit. §. 6. cit. l. 44. tit. eod.*) illatum & humatum fuerit (intellige eo fine ut ibi perpetuò sepultum permaneat, ita ut, si cadaver ibi solum deponatur, & ad certum tempus humetur, transferendum postmodum aliò, locus per hoc Religiosus non fiat. *L. 40. ff. l. 10. c. h. t. Lauterb. l. cit. §. 8. Pirh. h. t. num. 2.*) ab eo qui in eo fundo ibi sepeliendi jus plenum & liberum & in solidum habet. Quale quia non habet Dominus proprietarius, si alius in eo usufructum habet, ei non licet ibi sepelire mortuum, ita ut per hoc locus ille efficiatur religiosus. *Lauterb. §. 4. citat. l. 2. §. 7. ff. h. t.* eò quod per sepulturam illam conditio usufructuarii redderetur deterior. Dum hoc ipso, quod fiat religiosus, eximitur ab usufructu, uti nec in eo constitui potest amplius servitus alia. v. g. itineris, ut *Idem. juxta cit. L. 2. §. 8.* quamvis & talis locus (intellige non quidem totus fundus sed spatium illius, quod corpus occupat ut *Lauterb. cit. §. 6. in fine.* accipiendo tamen hoc ipso cum aliqua latitudine) evaderet religiosus, si ibid. sepeliretur mortuus ab alio, qui Dominus illius fundi non est, sciente & non contradicente Domino. Verùm licet hæc ita sint de Jure Civili Romano, adeoque antiquitas hac ratione autoritate etiam privatâ locus reddi poterat religiosus, de quo vide fuscè agentem *Muller. ad ff. de religiof. & sumpt. funerum th. 69. & seq.* id tamen Jure Canonico non procedit, utpote secundum quod non ideo talis locus habet rationem sepulchri seu sepulturæ nec loci religiosi. ut cum *Gl. cit. in can. 14. Abb. in c. penult. h. t. num. 4. Molin.*

*Tom. 2. de 7. & 7. d. 214. num. 3. Pirh. l. c. Lauterb. l. c. §. 9.* qui tamen addit, hoc jus Episcopale in terris Augustanæ Confessionis translatum esse in Principes per pacificationem Ecclesiasticam, ita ut hodie in eorum territoriis cæmeteria & dormitoria istiusmodi ab omni illuvie munda muris seu sepimento inclusa per Magistratum Ecclesiasticum seu Consistoria constituantur. De quo tamen posteriore, num ea loca ab istiusmodi Consistoriis non Catholicis constituta mereantur nomen religiosorum in sensu Juris Canonici, rectius statues exsequentibus: ubi qui nomine fidelium veniant.

Quaest. 791. Quænam igitur loca hodieum sepulturæ deputata sint &amp; deputari possunt.

**R** Tametsi olim jure Romano iustissima de causa prohibitum corpora adeoque statui istiusmodi loca ad sepeliendum intra Civitates, etiam sub pœna 40 aureorum. *L. 12. c. h. t. L. 3. §. 5. ff. de sepulch. viola.* idque, ut ibi dicitur, ne communitates factore inficerentur, quin etsi hodieum extra urbes locis ab Ecclesiis remotis pro urbibus magnis ac præcipuè pro sepeliendis peste defunctis cæmeteria constituti soleant, regulariter tamen usus & laudabilis consuetudo obtinuit, ut non nisi prope Ecclesias in ejusdem atrio, porticu, aliòve terra spatio constituta habeantur juxta *Can. 15. caus. 13. q. 2.* ex ea etiam ratione, ut Sacrificiorum in Ecclesiis oblatorum participes fierent ac ingredientium Ecclesias caritas ad fundendas pro requiescentibus ibidem defunctis excitaretur, quin & ipsi adeuntes Ecclesias commonefierent mortalitatis & futuri exitus sui juxta *can. 17. caus. 13. q. 2.* & *D. Chrysof. Homil. de fide & leg. natur.*

In ipsis verò Ecclesiis, præsertim prope altare, etsi per *cit. can. 15. & can. 18. ead. caus. & q.* prohibitum sepeliri quæpiam, exceptis Episcopis, Abbatibus, dignis Presbyteris & fidelibus Laïcis (per quos posteriores intelliguntur Laïci sanctitatis famâ & miraculis clari, ut *Gl. in cit. can. 18. v. fideles*) hodieum tamen consuetudine, quin & jure nimirum. *c. 5. & 6. h. t.* introductum, ut ibidem etiam sepeliantur quicumque Catholicici, tam Laïci, quam Clerici, quamvis abusus illum hodie in locis aliquibus vigentem, ut soli divites & honoratiores sepeliantur in Ecclesiis, cæmeteriis, extra illas, pauperum sepulturæ relictis, inter alios graviter reprehendat, & eliminandam demonstret *Van Elpen. p. 2. tit. de sepult. c. 2. num. 34.* citatis in hunc finem

fufis

fuis decretis & textibus (quos legere est apud Reiffenst. *h. t. num. 7.*) Conciliorum recentiorum Rothomagensis de anno 1581. & Rhemensis de anno 1583, uti & Rituali Romano edito sub Paulo IV. unde ibi, ubi ejusmodi decreta synodalia extant, non licere sine expressa licentia Episcopi sepelire in Ecclesia mortuos, & intuitu eorum Decretorum Episcopos debere vigilare, ut in suis Diocesis tollatur istiusmodi abusus, addit Van Espen. *l. c.*

*Quest. 792. Quibus locis competat jus sepulturae, ut ibidem defunctorum corpora sepeliri possint aut debeant.*

**R** Esp. Tamesti jus hoc de jure communi antiquo competere solis Ecclesiis Parochialibus, seu populum curamque & jus parochiale adeoque & intentionem fundatam habentibus, ita ut in iis earumve cœmiteriis omnes Parochiani sepeliri, non tantum possent; sed & deberent; nisi probaretur defunctum habere sepulchrum majorum, aut alibi sibi sepulturam elegisse. ut Arg. *c. 1. 3. 10. c. 2. in 6. h. t. cum communi Abb. in c. certificari. h. t. num. 7. c. 8. Sylv. V. sepultura. q. 3. Mol. tr. 2. de f. & f. D. 214. num. 71. Pirh. h. t. num. 29. non secus ac ibidem Sacramenta obire, verbum Dei audire, aliaque officia pastoralia recipere Parochiani debebant. Arg. *Clement. §. verum. h. t.* his non obstante *c. ubicunque. caus. 13. q. 3.* de sumpto ex Concil. Tiburtiens. statuente, ut si fieri posset, sepeliatur quis in Ecclesia Episcopali vel in Ecclesiis Monasteriorum, ubi religiosa degit congregatio; cum hic textus, ut Pirh. cum Abb. *in c. 3. h. t. not. 1.* intelligi debeat de Monasteriis habentibus populum. Nihilominus postmodum ex speciali Sedis Apostolica privilegio jus idem in suis Ecclesiis & cœmiteriis faculares & alio sepeliendi, concessum religiosis. Ac primò quidem Ordini Prædicatorum & Minorum S. Francisci, insertumque ipsi juri communi, nimirum per *Clem. 2. & Extrav. 2. h. t.* dein etiam Augustianis & Carmelitis aliisque Religiosis, partim per speciale quoque privilegium, et si id juri communi non insertum, per privilegiorum communicationem, ut videre est in *Compend. privileg. Societ. V. sepultura. Abb. in cit. c. certificari. num. 8. Mol. l. c. Pirh. num. 30. Donat. Tom. 3. prax. regular. tr. 9. q. 8. num. 2. Rodriq. Tom. 3. qq. regul. q. 58. a. 3.* Religiosis tamen invitis, vel sine expressa licentia superioris regularis fieri apud eos nequit hæc sepultura, aut celebrari processiones, funebria, & exequia, ob privilegia plurium Pontificum iis desuper concessa, de quibus vide Reiffenst. *h. t. n. 31.* quæ tamen facultas concedendi sepulturam in templis Societatis reservata est Generali ejusdem juxta institutum. De cætero privilegium hoc seu jus sepeliendi quibusvis locis in tota Ecclesia concedere potest solus Papa & Legatus de latere intra suæ legationis Provinciam. Pirh. *h. t. num. 31.* cum Barbof. *de off. paroch. c. 26. num. 9.* Episcopus quoque & quasi Episcopalem jurisdictionem exercens intra suam Dioccesim vel Territorium, sed non nisi iusta de causa & accedente consensu, utpote quo eget in expediendis arduis, quale quid est concessio dicti juris in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, cui id aliàs privativè competeat, ut Pirh. *l. c.* cum Abb. & Molin. *ll. cit.**

*Quest. 793. An & qualiter in istiusmodi locis habentibus jus vel privilegium sepeliendi defunctos stabilem quis sepulturam seu proprium sepulchrum habere possit, & ex cujus concessione.*

**1. R** Esp. Ad primum: patet experientiã posse aliquem in dictis locis habere sepulchrum commune familiæ, pro se nimirum, uxore, liberis per lineam masculinam descendantibus; et si hæredes non sint: ita proprium (non quidem in hoc sensu, ut ipse dominium illius spatii sepulchralis habeat; cum loca sacra & religiosa esse nequeant in alicujus dominio; sed quòd in eo alius extraneus sepeliri non possit. Pirh. *n. 33. Navar. L. 3. conf. 1. h. t.* quod proinde familiare dicitur, sequè non extendit ad affines & cognatos, quippe qui non domini esse dicuntur familiæ, ut Pirh. *n. 34. juxta L. familiare §. 1. seq. H. de Relig. & sumpt. funer. l. 4. c. 13. c. eod.* vel etiam habere potest sepulchrum hæreditarium, pro se nimirum & hæredibus suis, et si hi extranei sint, duratque jus licitè ibidem sepeliendi solos, qui de familia aut hæredes sunt, quam diu tales supersunt, ita ut extinctã totã familiã aut hæredibus deficientibus, Ecclesia aut Prælatus illius concedere possit aliis. quin etiam ut Pirh. *num. 4.* citatis pro hoc Abb. *in c. penult. h. t. n. 5. Sylv. V. sepult. q. 2. dicto 3. Barbof. de off. Episc. c. 76. num. 12.*

**2. R** Esp. Ad secundum: Sepulchrum in dicto sensu proprium concedi non posse sine autoritate Episcopi, sed neque cum illa, sine consensu Capituli; eò quòd, licet per talem concessionem non transferatur rei seu loci ad sepulchrum deputati dominium, transferatur tamen usus illius, & jus sepeliendi, quod fieri nequit sine forma & solemnitate requisita ad alienationem rerum Ecclesiasticarum, id inquam astruit Pirh. *h. t. num. 33.* verum tamen non video, cur non & ipsi religiosi gaudentes dicto privilegio sepeliendi apud se defunctos concedere possint apud se sepulchrum proprium familiare pro se suisque de licentia suorum Superiorum regularium, puta Abbatis, Prioris, Generalis, accedente saltem consensu Capituli, si quod habent, absque recurso speciali ad Episcopum seu Ordinarium, pro ut ipsum expressè tradit Pirh. *n. 34.*

*Quest. 794. An pro concessione sepulchri seu habenda in loco aliquo sepultura præcipuè familiari dari & accipi quid possit.*

**1. R** Esp. Primò, secernendo certum à controversis: fundus necdum benedictus liberè emi ac vendi potest eo sine, ut in sepulturam fidelium benedicatur, aut etiam in eo jam consecrato sepulchrum & sepultura privata familiaris habeatur; locus siquidem ille secundùm se res est omnino temporalis & pretio æstimabilis, nec per hoc, quòd à privato deputetur pro habenda ibi sepultura magis definit esse profanus, quàm locus, quem quis pretio acquirit pro construenda in eo Ecclesia ac ita cum communi ac certa tenent Gl. *in c. abolenda h. t. V. Sepultura & Innoc. ibidem. num. 1. D. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. Suar. L. 4. de simonia. c. 14. num. 17.*

**2. R** Esp. Secundo: exigere, dare, accipere tantamquam pretium pro habenda sepultura in Ecclesia, commi-

cœmeterio, seu loco jam benedicto & auctoritate Episcopi in sepulturam fidelium deputato, tamen dominium dicti loci per hoc non acquiratur secundum dicta, illicitum esse, nulla suffragante in contrarium consuetudine, & tanquam Simoniacum, jure saltem Ecclesiastico, prohibitum. Arg. *C. abolendo b. t. C. non satis. C. ad Apostolicam de simonia.* tradunt Abb. *in cit. c. abolende num. 1.* Barbof. *ibid. num. 1.* & *in Trid. sess. 25. c. 13. de reform. num. 36.* Suar. *l. c. num. 19. & 20.* Pirh. *b. t. n. 37.* Wiestn. *num. 48.* Reiffenst. *num. 67.* & alii communiter. Possentamen aliquid temporale ob locum sepulturæ concessum liberaliter offerri Ecclesiæ ad conservationem, v. g. fabricæ illius aut cœmeterii, & oblatum accipi, admittitur communiùs, & pro eo Stru. *ad ff. de religios. & sumpt. fun. ib. 81.* citat Bonac. *th. mor. Vol. 2. tr. de contract. d. 3. q. 2. p. 4.* quin &, ubi talis consuetudo dandi viget, posse peti, absque tamen turpi exactione, imò Laicos ad talem consuetudinem observandam, peractis tamen prius officiis funeralibus cogi posse, tradunt Abb. *l. c. num. 7.* Sylv. *V. Simonia. q. 11. dicto 1.* Pirh. *num. 40. in fine.* Rodriq. *Tom. 3. qq. reg. q. 58. a. 2.* Reiffenst. *b. t. num. 67.* Arg. *c. 7. de simonia.* vide etiam Muller. ad Stru. *l. c. lit. y.*

3. Resp. Tertio: posse quoque tanquam pretium per contractum exigere & dari aliquid pro obtinendo loco sepulturæ digniore & honoratiore. v. g. prope Altare aut in Capella aliqua Ecclesiæ (absque tamen respectu ad illius loci majorem sanctitatem, aut percipiendum fructum spiritualem ampliorem occasione talis situationis, ut signatè Wiestn. *b. t. num. 49.*) aut etiam pro obligatione, non nisi ex certa familia defunctos ad talem locum vel facellum admittendi, probabiliter docent Rodriq. *l. c. Bellet. disquis. cler. p. 1. de cler. debitor. §. 3. num. 30.* Francif. *de Eccl. Cathed. c. 16. à num. 92.* Gonz. *in c. abolende. num. 7.* Barbof. *ibid. num. 7.* & *de off. paroch. c. 76. à num. ibid.* citatis pluribus aliis. Item Reiffenst. *num. 68.* Wiestn. *l. 1. & c.* eò quòd censent in hoc casu attendi & intendi solum honorem & præminentiam, quæ sit quid merè profanum & pretio æstimabile, ipsumque multò magis dici possit de dicta obligatione nullum alium in eo speciali loco sepeliendi, utpote quæ tali etiam loco est merè accidentalis. Et sic jus sepulchri acceptum solitariè pro dicta obligatione vendi posse sine simonia, satis probabiliter doceri à Suar. *Tom. 1. de relig. l. 4. de simon.* Sanch. *Tom. 1. consil. 3. du. 14. num. 1.* ait Delben. *de immunit. Eccles. c. 17. du. 14. num. 11.* Unde etiam expressè tradit Lotter. *de re benef. l. 2. q. 4. num. 11.* citatis pro hoc Navar. *de sepult. consil. 1. num. 1.* Garc. *de benef. p. 5. c. 9. n. 137.* Ledesm. *in sum. p. 2. tr. 12. concl. 34.* qui dicat esse communem Thomistar. nimirum posse Episcopum sine simonia ad solutionem certæ pecuniæ concedere locum talem honorificentiorum in Capella aliqua Ecclesiæ cum dicta obligatione seu exclusione aliorum quamvis addat Lotter. *num. 17. & seq.* non posse tale jus sepulturæ à privato, etiam, dum is illud tanquam fundator Capellæ acquisivisset, distrahi aut alienari cum dicta pactione sine simonia, de quo vide me in *foro benef. p. 2. q. 104. num. 1.* Fundantque se insuper citati AA. in praxi quotidiana, qua passim viri docti & timorati ex utroque clero, tam sæculari quàm regulari sine omni scrupulo paciscuntur exacto & accepto pretio de istiusmodi honoratioribus scientibus & tolerantibus ordinariis, qui omnes sine temeritate argui nequeant pravitate simoniacæ, ut ait Reiffenst. Nihilominus, non mi-

nus si non magis probabiliter, absolute contrarium tradit Pirh. *b. t. num. 38.* ex eo principio, quòd licet motivum extrinsecum ementis sit honor ille in æstimatione humana consistens, sit tamen quid connexum loco sacro, qui propter illum pretio comparatur, adeòque consequitur rem illam religiosam, & spiritualem, non secus ac honor humanus annexus dignitati & beneficio, qui proinde vendi non potest, nisi simul vendatur res ipsa spiritualis, unde jam etiam Pirh. non probat sententiam Suar. (cui etiam inhaerere videtur Delben. *l. c. num. 12.* ob rationem mox dandam ab eo) qua is. *l. c. n. 18.* docet, quòd, si quis habeat sepulchrum proprium suis sumptibus acquisitum vel constructum pro se suisque, non esse materiam Simonie, si vendatur quoad proprietatem juxta valorem fundi, & habito respectu ad solas expensas factas in adificationem sepulchri, quia sic non venditur benedictio loci, sed materiale illud, ad quod alia sequuntur, sicut & ratione dictæ materialitatis jure hereditario à parentibus ad filios transferri solet; cum tamen secundum quòd absolute astruunt Abb. & Innoc. *in c. penult. b. t. num. 4.* Laym. *in disp. can. de rebus Eccl. alien. tb. 71.* & dictum à nobis supra locus consecratus vel benedictus, vel deputatus auctoritate publicæ pro sepultura fidelium vendi non possit ob prohibitionem Ecclesiæ, quia in nullius privati est dominio; imò nec opponi possit, hac ratione non vendi jus spirituale sepulturæ, sed materiale cum hoc inseparabiliter sit connexum cum spirituali, adeòque vendi nequeat materiale, nisi etiam spirituale vendi censeatur. Arg. *c. 7. caus. 1. q. 7. de cetero non negabit.* Pirh. quòd cum Lotter. *l. c. n. 9.* admisi in *foro benef. l. c.* posse nimirum fundatorem de consensu Episcopi sibi, & successoribus patronis reservare in Ecclesia istiusmodi locum honorificentiorum, cum expressâ lege, ne alius ibidem sepeliatur, quin & postmodum, dum antecederet seu in limine fundationis talis reservata facta non est, in extructa jam & consecrata Ecclesia talem locum cum dicta exclusione aliorum concedi illi ab Episcopo, saltem citra pactionem de danda pecunia, videtur esse extra dubium, quemadmodum etiam docet Pirh. *ad tit. de jure p. num. 73.* vendito fundo, in quo quis sepulchrum habet; ad quod non patet aditus per viam publicam, sed solum per illum fundum, qui sepulchri transire ad emptorem; cum jam nulli amplius sit usui vendenti, utpote qui ab emptore prohiberi potest, ne per fundum jam factum illius funus ullum inferatur. quin & habet *b. t. n. 39.* etsi seorsum vendi non possit jus sepulturæ, transire tamen cum hæreditate ad hæredes, intellige, dum sepultura est hæreditaria.

*Quæst. 795. An & qualiter quis sibi eligere possit sepulturam.*

**R**Esp. Potest quilibet regulariter loquendo in quovis loco religioso, etiam, cui aliàs jus sepeliendi non competit, puta, etiam extra propriam parochiam in Capella aliqua non habente alias sepulturas, & in qua rarò vel nunquam Missæ celebrantur, etiam antiquâ, quam jam alibi constitutam habuit, sepultura desertâ, eligere, saltem de licentia eorum, ad quos locus talis privatus pertinet, ita cum communi Abb. *in c. 3. b. t. in fin.* Gonz. *ibidem. num. 9.* & alii apud Fagn. *in idem. c. 3. num. 1.* Pirh. *num. 17.* Reiffenst. *num. 40.* Arg. *c. 1. b. t. ubi nulli tamen negamus propriam sepulturam & alienam. & c. 2. b. t. in 6.* ubi: *Si quis antiquâ dimissâ novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem*

tionem huiusmodi ( licet iura super hoc videantur diversa ) nequaquam volumus impugnari, &c. huic textui non obstante alio textu. *c. h. t.* per quem sepultura electa in loco minus religioso expressè prohibetur. siquidem per locum minus religiosum in *cit. c. 2.* non intelligitur omnino profanus; sed ex eo minus Religiosus, quòd in eo minus frequentier fiant Officia divina, Missæ & Orationes publicæ ut AA. *cit. cum Gl. ibidem in cit. c. 3.* etiam ex eo capite reprobatum electio talis loci minus religiosi, dum ea sit sine rationabili causa, ex contemptu, deferendo sepulchra majorum, in quibus de jure vel juxta laudabilem consuetudinem sepeliri debebat, vel etiam malitiosè in præjudicium illius Ecclesiæ, cui debebatur portio Canonica, subrahendo eam illi hac ratione, quæ etiam exinde repetere possit corpus defuncti, prout *cit. cap. 3.* cum Abb. *ibid. num. 4. in fine.* interpretatur Pirh. *h. t. num. 18.* de cætero non occasione hujus electionis sepultura inter religiosos aliosque Clericos, quibus competit jus concedendi apud se sepulturam, evitentur discordiæ, seditiones, mutua præjudicia, indeque nata scandala. Bonifacius. 8. in *c. 1. h. t. in 6.* universis Religiosis & secularibus Clericis, cujuscunque status & conditionis in virtute S. obedientiæ & sub interminatione æternæ damnationis prohibet, ne antiquos ad vovendum, vel jurandum vel fidei interpretati, aut aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesiâ sepulturam eligant, vel jam electam non amplius inintrent. ita etiam, ut contra facientes teneantur corpus, si jam sepultum, cum omnibus proventibus inde perceptis intra decennium restituere, sub pœna interdicti, cui Ecclesiæ & Cœmeteria tam diu subijciantur, donec satisfecerint; electio verò ad istiusmodi inductionem facta sit ipso in re nulla, debeantque ita eligentes sepeliri, ubi aliàs nullâ electione factâ debuissent sepeliri, vel etiam, ubi antecederet ad talem inductionem legitime elegerant sepeliri. Quæ Constitutio Bonifaciana confirmata fuit excommunicatione ipso facto contrahenda, latâ contra temerarios ejusdem violatores per *Clementis de pœnis*, quam tamen excommunicationem, uti & dictum interdictum non incurri à Clericis & Religiosis inducentibus ad eligendam apud se sepulturam solum consilio & precibus, citra quod inducant ad desuper vovendum vel jurandum, aut promittendum, astitit Franchis. *q. 64. num. 2.* Pirh. *h. t. num. 27.* Wiestn. *h. t. num. 28.* nec à quocunque inducente quomodocunque ad eligendam sepulturam, non in sua, seu in inducentis Ecclesia, sed in aliena, ut Idem cum Navar. *in man. c. 27. num. 103.* Rodriq. *To. 3. qq. reg. q. 58. A. 7. du. 4.* Wiestn. Pirh. *LL. cit.* item nec à parochio inducente parochianum ad eligendum, interposito etiam voto vel juramento, sepulturam in sua Ecclesia Parochiana, cum dictæ constitutiones editæ in favorem Parochorum in eorum odium non sint detorquendæ. Wiestn. *l. c.* citato Castrop. *tr. 29. d. 3. p. 2. num. 21.* nec denique ad Clericos & Religiosos conatos aliquem inducere ad eligendum cum voto vel juramento sepulturam in sua Ecclesia non secuto effectu, eò quòd is desuper jurare vel vovere renuerit. Rodriq. *l. c. du. 5.* Pirh. Wiestn. *LL. cit.* estque horum omnium communis ratio, nimirum, quòd utraq; Constitutio, tam Bonifacii quàm Clementis, tanquam pœnalis & odiosa, adeoque stricti juris, à personis & actionibus expressis ad non expressas non extendenda, ut Castrop. *l. c. num. 22.* & cum eo Wiestn. Porò extenditur responsio ad filium familias puberem (de quo fortè

R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. III.*

dubitari poterat, qui in patris potestate constitutus) ut & is sibi sine patris consensu eligere possit sepulturam, tamen per ultimam volitionem etiam pro anima sua relinquere nihil possit, nisi ex bonis suis castrensis, vel quasi castrensis, si quæ habeat, Pirh. *h. t. num. 15.* cum communi, juxta quod statuitur in *c. licet §. quamvis h. t. in 6.* his non obstante patriâ potestate, utpote cui quòd ad jura spiritualia (quibus etiam jus sepulturæ tanquam res sacra & religiosa annumeratur per *c. quæst. caus. 12. q. 2.*) non ita subiectus est, sicut quòd ad bona corporalia non castrensis. *c. ult. §. fin. de Judic.* Extenditur quoque ad uxorem quæ non minus, quam maritus liberam facultatem habet, sibi eligendi sepulturam per *c. de uxor. 7. h. t.* ubi etiam ratio redditur, quia nimirum electio sepulturæ, quæ fit ab uxore durante matrimonio, refertur & pertinet ad illud tempus & statum, in quo mulier soluta est à lege viri, nempe ad tempus mortis, si quidem, sicut valet dispositio facta tempore habilis, etsi effectus conferatur ad tempus inhabile, ita etiam valet dispositio facta tempore inhabili, si effectus conferatur in tempus habile. Pirh. *h. t. num. 16.* cum Abb. *in cit. c. de uxore n. 2.* Arg. *c. quod spo. s. de donat. ante nupt.* ubi, quòd non valeat donatio facta sponsæ, si ejus effectus conferatur in tempus nuptiarum, sive ut tunc effectum fortiat, valeat tamen donatio facta ante nuptias non potest, si contra matrimonium habeat post solutum per mortem matrimonium juxta *L. cum hic status §. 1. ff. de donat. inter vir. & mulier.* Potest quoque Episcopus eligere sibi sepulturam extra suam Ecclesiam Cathedrali, ut fieri non raro videmus. quid circa hoc de aliis Prælati Religiosis, dicitur paulò post. Restringitur è contra responsio (propter quod etiam dixi: *regulariter.*) primò, ut liberi impuberes (intellige, etiam de cætero usu rationis pollentes) eligere sibi prohibeantur sepulturam per *c. licet h. t. in 6.* ubi quoque conceditur patri, quòd, ubi consuetudo loci ita habeat, possit filium impuberem sepelire ubi voluerit, & ubi talis consuetudo, non est, debeat eum tumulare cum majoribus suis, vel in Ecclesia Parochiali, & quidem (nisi & in hoc consuetudo aliud habeat) debeat illum sepelire in sepulchro majorum, & non nisi eo deficiente, in parochiali. ut cum Gl. *in cit. c. licet, h. t. V. V. in parochiali.* tradunt Anchar. *ibid. not. 4.* Barbof. *de off. parochi. p. 3. c. 26.* quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. n. 4.* pari modo impuberi eligere possunt sepulturam mater, imò & propinqui illius, si ascendentes non habeat Pirh. *num. 20.* cum Franc. *in lit. c. licet n. 3.* item & tutor illius, utpote qui est impuberi loco patris, & transit in jus patris quòd ad curam pupilli, de quo vide me. *in fin. benef. p. 1. q. 452. num. 2.* Secundo eligere sibi sepulturam non possunt Religiosi professi degentes intra Claustra subditi, sed in suis Monasteriis sepeliri debent juxta expressum textum. *c. fin. h. t. in 6.* ubi etiam additur ratio; quia velle & nolle non habent. Dicitur tamen primo *Professi*, ad distinctionem Novitiorum; hi siquidem, quia adhuc velle & nolle habent, & propriè Religiosi (quales solum veniunt. *in cit. c. ult. h. t.*) non sunt, liberè sibi sepulchrum eligere possunt, sive degant extra Claustra, sive intra. Donat. *Tom. 3. tr. 10. q. 4.* Armill. *V. Sepultura. num. 6.* Dian. *p. 5. tr. 3. resol. 109.* Sanch. *L. 6. c. 14. num. 10.* Pirh. *h. t. num. 25.* Engell. *num. 12.* Reiffenst. *num. 43.* Quòd si tamen intra tempus Novitiatûs moriantur, sive intra sive extra. v. g. in domo paterna, de licentia Superioris retento ritu ordinis sepeliri

Cccc

peliri debent in Monasterio; quia gaudent iuribus & privilegijs sui Ordinis. Rodriq. *l. c. Tom. 2. q. 39. a. 4.* Sanch. *l. c. num. 11.* Laym. *L. 3. tr. 5. c. ult. n. 8.* Pirh. *l. c.* qui etiam addit, fieri debere sepulturam illorum sumptibus Monasterii, si proprium patrimonium non habent; in quo tamen servandam consuetudinem Ordinis, aiunt Rodriq. *q. 60. a. ult.* Sanch. *n. 12.* Dicitur secundo: *professi degentes intra claustra.* quia degentes extra, ita remoti à proprijs Monasterijs, ut mortui ad ea commodè nequeant deportari, eligere sibi possunt sepulturam. ut Sylv. *V. sepult. q. 6.* Jo-Monach. *in c. ult. b. t. in 6. n. 2.* Anchar. *ibid. n. 3.* Sanch. *l. c. num. 3.* Pirh. *b. t. num. 22.* juxta expressum textum. *cit. c. ult. § Arg. c. 16. de excess. pral.* ubi arguuntur Clerici illi, qui corpora Religiosorum decedentium extra Monasteria sua, ad sua Monasteria deportari curant. Idemque à potiori locum habet in Religiosis, qui extra Monasterium beneficijs præpositi decedunt, etsi forte, ut supponere videtur. Pirh. *l. c.* non ita remotè à suo Monasterio degant; cum hi in multis etiam velle & nolle habeant. Quodsi verò ita remotè degentes citra electam à se sepulturam decesserint, debere eos sepeliri in Monasterio ejusdem Ordinis, si tale ibi sit, & ipsi in eo commorati sint juxta *c. 1. caus. 16. q. 1.* Si verò in eo commorati non sint, probatur in *c. 1. de sacra. Eccl. Parochiali*, in qua soliti recipere Sacramenta; cum dicti Monasterii subditi non sint, cum Gl. *in cit. c. not. 1.* & Franc. *ibidem. num. ult.* asserit Pirh. *b. t. num. 23.* Dicitur tertio: *professi subditi:* nam Prælatos Religiosos, saltem supremos nullum Superiorem, cui subditi, in Ordine habentes, ut sunt Generales, Abbates plures, etsi, dum exempti non sunt, subditi Episcopo, posse eligere sibi sepulturam extra Monasterium, in quo degere solent, cum Abb. *in c. de uxore b. t. num. 5.* Franc. *in cit. c. ult. num. 2.* Sylv. *V. sepultura. q. 6.* tradit in Pirh. *num. 24.* eò quòd, licet talis Prælatas comprehendatur sub ratione dictæ constitutionis in ea expressa, juxta quam ea restringenda; cum habeat adhuc velle ac nolle proprium, utpote nullum in ordine superiorem habens. Contrarium tamen, ut de Prælatibus regularibus inferioribus, puta Provincialibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, quod eligere sibi nequeant sepulturam extra Monasterium, cui præsent, probabilius contra Rodriq. *c. q. 60. a. 1.* Pellizar. *in man. regul. Tom. 2. tr. 8. c. 5. num. 126.* quibus adherere videtur. Sanch. *L. 6. mor. c. 14. num. 7.* sentiunt Pirh. *l. c.* Wiestn. *num. 21.* & alii; eò quòd, licet in multis, præsertim ad suam personam pertinentibus, habeant velle ac nolle, hoc tamen eorum velle non sit omnino absolutum, sed dependens ab Ordinis Regula & Constitutionibus. Unde sicut secundum illas receptamque Ordinis consuetudinem Religiosis non permittitur sepultura extranea, ita nec istiusmodi Prælatibus, ut Wiestn. cum Donat. *in praxi regul. 10. 3. tr. 10. q. 9. n. 2.*

**Quæst. 796. Facta electio sepulture an & qualiter probanda.**

**R**esp. Cum electio sepulture sit pars quædam ultimæ voluntatis, non minùs quam alia ultimæ voluntatis dispositiones, ut effectum suum habeant, solemnitatem aliquam & probationem requirere videtur. Verùm cum rationem dispositionis ultimæ non qualiscunque ad pias causas habeat, non aliam, quàm similes dispositiones, exigit, ac proinde per duos aut tres testes de ea deponentes, vel

per scripturam ipsius defuncti manu exaratam, aut codicillum aliàs invalidum, vel etiam per testem unum, concurrentibus alijs adminiculis seu conjecturis, sufficienter probari, cum Sebast. Medicis. *de sepult. q. 8.* asserit Wiestn. *b. t. num. 25.* non tamen putat ad hoc sufficere solius Confessarii dictum, ut vult Lauret. de Franchif. *controv. Episc. int. § regul. p. 2. q. 64. num. 6.* quemadmodum nec id sufficit, ad pia legata probanda; nisi forte alicubi consuetudo vel statutum habeat aliud, nimirum ut in iis stetur dicto Confessarii, alteriusve (intellige viri prudentis ac veracis) prout ei stari in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur Gemens. *in ejus Curie praxi. c. 76. n. 8.*

**Quæst. 797. Ubinam sepeliendi defuncti. Si citra electionem sepulture ab iis factam?**

**1. R**esp. Primò in genere: jus quod concedit facultatem eligendi sepulturam, etiam extra Parochialem, & sepulchrum Majorum omnibus, qui electionis capaces sunt, secundum dicta, idem, hac electione deficiente, determinat cuique sepulturam in sepulchro Majorum suorum exemplo Patriarcharum Veteris Testamenti (intelligendo per Majores, patrem, avum, aliosque ascendentes. *L. 10. H. de grad. affin.*) si tale sepulchrum proprium habeat. Laym. *ib. mor. L. 3. tr. 6. c. 12. num. 8.* citans Abb. *in c. 1. b. t.* Sylv. *V. sepult. q. 8. § c.* Pirh. *b. t. num. 4.* cum communi juxta claros textus. *c. 1. b. t. c. 2. § 3. cod. in 6.* acquisivit siquidem Ecclesia, in qua tale sepulchrum est, jam sibi jus ad sepulturam privativè ad quemcunque alium locum, quoties quis alibi sibi eam non eligit, adeoque eo privari nequit per novam electionem factam etiam in Parochiali per eos, ad quos spectat cura funeris. Sylv. *l. c.* Si verò sepulchrum proprium Majorum non habet, aut ad illud commodè deferri nequit, sepeliendus est in Parochiali propria, ubi domicilium habuit, & Sacramenta percipit, ut habet communis & certa. Arg. *c. 1. § 10. b. t. juncto c. 1. § 3. cod. in 6.* Etsi quis in duabus Parochiis habuit domicilium, & in utraque habitavit pariter, & æquè Sacramenta percipit, & divinis officijs officijs interfuit, in ea sepeliri debet, quæ prevenit, etsi neutra prevenit, nec Parochi inter se componere velint, intervenientis ordinarij judicio standum, ut Pirh. *num. 5.* cum Molin. *tr. 2. d. 14. n. 13.*

**2. R**esp. secundò: in casu, quo Majores in diversis sepulchris sepulti. v. g. avus, proavus, &c. in uno, pater in alio, filius sepeliendus in sepulchro avi, proavi, &c. & non in sepulchro patris, si is ibi contra voluntatem suam casu fuit sepultus. Abb. *in c. 1. b. t. num. 5.* Molin. Pirh. *LL. civ.* quamvis idem, nimirum filium adhuc non sepeliendum in sepulchro patris sed Majorum, etiam si pater illius pro se elegisset, tradant Glos. *in c. is cui b. t. in 6. v. ab antiquo.* Sylv. *V. sepultura. q. 8.* quos sequitur Reiffens. *num. 11.* Arg. *c. 1. § 3. b. t.* eò quòd hæc aliaque jura indistinctè loquantur, utendo numero plurali, dicendo in sepulchro Majorum; secus tamen esset, si filius sepeliendus in sepulchro patris, etiam hoc adhuc superstitè, si pater aliam sepulturam à sepultura Majorum elegisset expressè pro se, & posteris suis, ita iidem AA. ex ea ratione, quòd tunc, si posterius aliam sepulturam non eligant, in electionem illam expressam patris consentire, sicque sibi ipsis eandem sepulturam

turam elegerit censeantur; sepultura autem electa ceteras omnes præcedet. ita ferè Reiffenst. l. c. ubi etiam citatis pro hoc Sylv. l. c. Oldr. conf. 25. Barbof. de paroch. c. 26. num. 32. & in c. 1. h. t. num. 2. Engels. h. t. num. 6. quòd si abavus & proavus in uno, avus & pater in alio sepulchro jaceant, filius sepeliendus apud patrem & avum, ex ea ratione, quòd conjunctio sepulturæ præcedat ex quadam dilectione, quæ fuit inter vivos; major autem dilectio præsumatur fuisse filii erga proximiores majores, quam remotiores. Barbof. cit. c. 26. n. 32. Pirh. n. 4. Reiffenst. l. c. Quòd si autem Majorum quivis in diverso jaceret sepulchro, filius sepeliendus in propria Parochia; eò quòd tunc censeatur carere sepulchro proprio. Barbof. Reiffenst. Engels. LL. cit. Porro dicta hic de filio locum quoque habent in filiis naturalibus & illegitimis, ita ut & hi in dictis casibus sepeliendi apud patrem, nisi is sit in dignitate. Sylv. l. c. Pirh. l. c. & alii apud Laym. l. c. num. 8. Spurii tamen apud matrem, nisi hæc sit illustris. iidem filii verò adoptivi, vel arrogati, vivo patre adoptante, vel arrogante, mortui in illius sepulchro sepeliendi, mortui tamen post mortem patris adoptantis sepeliendi apud patrem suum naturalem; cum per mortem illius soluta sit adoptio. Pirh. cit. n. 4. in fine.

3. Resp. Tertio: uxor non electa sepulturam decedens post mortem mariti, seu vidua, etiam dum sepulchrum proprium majorum suorum habet, sepelienda est in sepulchro mariti, si is tale habeat juxta expressum textum can. 2. caus. 13. q. 2. cujus ibidem. Sic redditur ratio: ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum; quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non sepatet. majorque est conjunctio uxoris cum marito, quam cum propriis parentibus juxta illud: relinquet homo patrem suum, & quòd, si mulier plures successivè viros habuit, sepelienda apud ultimum, utpote cujus domicilium & honorem retinet, pro ut statuitur. c. is. qui §. mulier. h. t. in 6. & hæc etiam si mulier post mortem mariti locum habitationis mutet, & aliò extra fines & locum sepulturæ mariti se conferat. Sylv. l. c. dicto. 3. Joan. Andr. in cit. c. is qui. Pirh. h. t. num. 12. Reiffenst. num. 22. non tamen procedunt, si mulier propter adulterium fuit separata à viro, quia tunc non est de domo seu familia viri, nisi ante mortem illius fuerit ei reconciliata. Pirh. h. t. num. 10. cum Sylv. cit. q. 8. dicto. 5. Sed neque, si in viduitate impudicè vixerit, tunc enim perdit honorem & privilegia mariti defuncti. Pirh. num. 11. cum Franco. in c. is qui §. mulier. num. 1. & 2. Arg. c. his solus. c. de revocat. donat. Si verò mulier adhuc ligata vinculo matrimonii seu ante maritum decedat, sepelienda quoque in sepulchro mariti, si is proprium jam habet, aut etiam solum elegit aliquod, & consequenter in sepulchro Majorum mariti, si is in eo sepeliri statuit, eò quòd maritus ex ea animi destinatione jam ibidem sepultus esse censeatur. Sylv. l. c. Abb. inc. 7. h. t. num. 6. Barbof. ibid. num. 4. Pirh. num. 12. Reiffenst. num. 28. Si verò maritus nullum elegit, seu destinavit, aut voluntatem suam circa sepulturam declaravit, sepelienda est uxor in sepulchro Majorum suorum, & si tale non habeat, vel si habeat, in eo sepeliri non possit, sepelienda in Ecclesia parochiali ubi decessit. Abb. Sylv. Barbof. Pirh. Reiffenst. LL. cit. videnturque hæc de muliere apud maritum sepelienda procedere, non tan-

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

tum, ubi matrimonium consummatum, sed etiam ubi solum ratum fuit, saltem ubi deducta fuit ad domum mariti; non autem in sponsa de futuro, ut ea sepeliri debeat in sepulchro sponsi. Pirh. num. 10. cum Franco. in c. 3. §. mulier. h. t. in 6. num. 3. Porro an vice versà maritus, si nullam sepulturam elegit, sepeliendus apud uxorem, non convenit inter AA. affirmativam tenet Reiffenst. h. t. num. 24. citans pro ea Abb. in c. 7. h. t. n. 7. eò quòd pari modo militet eadem juris ratio in marito, quæ in uxore, expressa in can. 2. caus. 13. q. 2. nempe conjunctio, quæ fuit inter illos in vita, ubi eadem autem est ratio, eadem quoque est juris dispositio. Arg. c. inter corporalia. de translat. Episcop. & L. ideo. ff. de LL. Negativam, præscindendo à consuetudine contraria sequitur Pirh. h. t. num. 13. citans quoque Abb. l. c. quamvis dicat eum dubitative loqui. Sylv. & Franc. LL. cit. eò quòd cit. c. 3. caus. 13. q. 2. dicatur, mulierem debere sequi virum suum, non autem, quod conversò vir debeat sequi mulierem; videaturque absurdum, virum teneri sequi dispositionem & electionem mulieris. Arg. L. 45. ff. de legat. neque etiam sit par ratio, quò ad hoc uxoris & mariti, cum mulier sequatur domicilium, honorem & jura mariti, & non è contra. adeoque, cum nullibi in jure casus hic sit exceptus, servandum jus commune, statuens eum, qui decessit sepulturam non electam, sepeliendum vel in sepulchro Majorum, vel in parochiali.

4. Resp. Quarto de Clericis sæcularibus beneficium vel etiam servitutam nullam in Ecclesia aliqua habentibus, pari modo de sepultura loquendum, ac de laicis; cum inter eos quò ad hoc jus non distinguat, nimirum quòd, si nullam elegerint, sepeliendi in sepulchro Majorum vel parochiali. Clerici verò sæculares, sive simplex sive curatum beneficium aut servitium perpetuum cum residentia habentes sepeliendi in Ecclesia vel Cimiterio illius, ubi illud habent. Sylv. l. c. dicto 6. Tuschus. Lit. P. concl. 99. num. 5. Bursat. conf. 226. num. 18. Bellef. Disquisit. Cleric. p. 1. §. 3. num. 9. & seq. Barbof. in c. 1. h. t. num. 4. Pirh. h. t. num. 9. Reiffenst. num. 14. ex ea ratione, quòd tales Clerici ibidem sint parochiani, parochia istius loci, & non loci, in quo habitant, ipsis Sacramenta ministrante, adeoque jus illos sepeliendi ibidem habente. quòdque ibi in sensu juris verum domicilium habere censeantur, ubi residere tenentur, etsi aliàs extra illam parochiam habitationem seu domicilium materiale habeat, ut cum Donat. Tom. 3. vr. 9. q. 26. Bursat. l. c. Vallens. h. t. §. 1. num. 6. Reiffenst. num. 15. His non obstante, quòd beneficiatus talis Viaticum & Extremam Unctionem à parochia loci, in quo corporaliter habitat, seu domicilium & habitationem materiale habet, percipiat, cum SS. Canonibus in ordine ad sepulturam non attendant locum, in quo quis in extremis percipit Sacramenta, sed in quo in vivis ea percipere, & divinis interesse, aut ea obire consuevit. ad hoc viaticum & unctionem non recipiat à tali parochia, habitationis materialis tanquam verus ejusdem parochianus, obligatus ea ab illo recipere, sed quia proprius ejus seu loci beneficii parochus non permittitur intrare fines alienæ parochiæ, ibique invito ejus parochia administrare Sacramenta. Arg. can. 1. caus. 13. q. 1. ac consequenter non secus ac ille, qui recreationis vel negotiorum causâ

Cccc 2

moratur

moratur extra Parochiam propriam, ibique accepto Viatico & Unctione moritur, non debet propterea ibidem sepeliri, sed in sua Parochia, si commode potest ad eam deferri. ita Reiffenst. *num.* 16. quod tamen posterius de diutius extra Parochiam suam commoratur dicitur non posse videtur. nam

5. Resp. Quintò, si habens alicubi domicilium stabile, conferat se ad locum alium, non quidem cum animo ibi perpetuò, sed solum ad tempus non breve v. g. ad annum majoremve anni partem studiorum, negotiorum vel famularis causâ ibi moriatur, ibidem sepeliendus, si alibi sepulturam non elegerit; eò quòd talis per animum illum diutius ibi commorandi, acquirat ibidem quasi domicilium, adeòque etiâ Parochiam ita ut à Parocho loci illius percipere possit Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, & Extremæ Unctionis; quin &, ut cum probabiliore. Sanch. *L. 3. de matrim. d. 25. num.* 12. & 13. dictus parochus assistere possit matrimonio ejusdem. & ita de sepultura talium docent Abb. *in c. 1. b. r. num.* 4. Molin. *cit. d. 214. num.* 18. Pirh. *b. r. num.* 7. qui tamen posterior, dum addit, hæc permitti ob distantiam à loco proprii domicilii, sentire videtur contrarium, seu esse adhuc obligationem sepeliendi talem in propria Parochia, ubi verum domicilium habet, si hæc inde modicè distet, sitque exigua incommoditas funus illud deportandi, de cætero peregrinos & advenas, si moriantur in locis, per quæ transeunt absque animo habendi ibi longam moram, eorumque corpora ad sepulturam majorum aut propriam parochialem commode deferri nequeant, in dictis locis sepeliri posse, nisi aliud habeat consuetudo, cum communi tradunt. Abb. *l. c. Sylv. l. c. disto 2. Molin. l. c. num.* 17. Pirh. *num.* 8.

6. Resp. Sextò infirmis receptis in hospitali, tam recto per Religiosos, quàm Ecclesiasticum rectorem ibidem morientibus sine electione sepulturæ eam præbere possunt dicti rectores in annexa hospitali Ecclesia; cum ii dicantur illorum infirmorum parochi, & illis viventibus omnia Sacramenta administrare possint. C. de Luc. *de regul. d. 1. n.* 51. Tertiarii quoque etiam invito parochio sepeliri possunt in Ecclesia istorum ordinum, quorum sunt Tertiarii, etiam ea sepultura non electa, de quo vide me *in for. benef. p. 1. q. 454. n.* 7. Ac denique famuli domestici Religiosorum mendicantium, qui mortui intra septa Monasterii, Collegii, Residentiæ, etiam parochio invito, & absque solvendi portionem canonicam necessitate ex privilegio Papæ in dictorum Religiosorum Ecclesiis vel Cœmeteriis sepeliri possunt. Laym. *ib. mor. L. 3. r. 6. c. 12. n.* 9. Molin. *l. c. num.* 16. Rodriq. *Tom. 2. qq. reg. q. 68. num.* 2. Pirh. *n.* 9. Reiffenst. *num.* 21. secus est de iis, quæ eorum ministri formaliter non sunt, dum intra septa Monasterii, ubi v. g. hospitalitatis gratiâ seu aliâs accidentaliter debebant, moriuntur, C. de Luc. *n.* 50.

*Quæst. 798. Quibus concedatur, & quibus denegetur sepultura vel in totum vel saltem sacra.*

1. Resp. Ad primum: quamvis, ut denegetur sepultura planè seu in totum, esse contra jus naturæ, & non competere ad hoc ullam rationem, pluribus rationibus (quas videre est apud Muller. *ad ff. de relig. & sumpt. funer. ib. 82. lit. a.*) ostendere nitentur plures, hodiernos tamen mores, quibus quandoque etiam de sententia iusta prohibetur sepultura, non improbandos ostendit Muller. *l. c.*

quem vide. Generalis regula est, quòd omnes & soli fideles seu baptizati, nisi jure vel consuetudine ob crimen aliquid prohibeantur sepultura Ecclesiasticâ, in loco sacro sepeliri possint ac debeant. Laym. *L. 3. r. 6. c. 12. q. 5.* Pirh. *b. r. num.* 62. cum communi juxta *c. 18. caus. 13. q. 2.* junctâ Gl. & *c. 28. de consecrat. dist. 1.* unde etiam morte affectis ob crimina, dum pœnitentes decedunt, sepultura sacra non deneganda, ut cum communi Abb. *in c. is. b. r. num.* 4. juxta *c. 30. caus. 13. q. 2.* quamvis justè in pœnam criminis, & ob aliorum exemplum etiam à potestate seculari interdum ea priventur, ut habet praxis, dum corpora suspensa in patibulo, aut rotis imposita ibidem relinquuntur insepulta, & inde sine licentiâ & gratiâ Principis tolli non possunt. Abb. *l. c. Covar. L. 2. resol. c. 1. num.* 11.

2. Resp. Ad secundum: sepultura itaque sacra seu in loco sacro privantur primò non baptizati, puta Turcæ, Judæi, Infideles, Paganæ, item infantes Christianorum, dum nati sine baptismo mortui sunt. Si tamen certò constat mortuos in ventre matris, unâ cum matre simul defuncta sepeliendi sunt in loco sacro; cum fœtus in ventre matris existens sit portio ventris & viscerum ejus. *L. 1. §. ex rescripto ff. de inspic. vent. & ita cum Gl. in c. 35. de consecrat. dist. 4.* & communi Pirh. *n.* 63. ubi verò dubitatur de vita prolis jam natæ, eaque propterea sub conditione baptizata, vel etiam aliâs adhibita materia dubia, sepultura sacra privari non debet. sed neque Catechumeni sepeliendi in loco sacro. Laym. *l. c. num.* 11. Pirh. *cit. num.* 63. cum communi.

3. Secundò. hæretici eorumque in puncto hæresis receptores, defensores, fautores juxta expressum textum. *c. sicut. 8. & c. 13. §. credentes. de hæretic. juncto c. 2. eod. in 6.* idque etiam si post mortem prius illorum fuerit detecta hæresis. Arg. *c. 6. caus. 24. q. 2.*

4. Tertiò. publicè & notoriè excommunicati juxta claros textus. *c. 1. caus. 24. q. 2. & c. sacris. 11. b. r.* dum ibi dicitur: sacris est canonibus decretum, ut quibus non communicavimus vivis, neque defunctis communicemus; & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs ab unitate Ecclesiæ erant præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ fuerant reconciliati. Ex quo textu illud deduci videtur, quòd probabilius tenent Navar. *in man. c. 27. num.* 36. & *l. 3. conf. 5. num.* 2. b. r. Suarez. *de censur. d. 12. §. 4. num.* 5. Laym. *L. 1. r. 5. p. 2. c. 4. num.* 4. Henriq. *L. 13. c. 11. §. 3.* Pirh. *b. r. n.* 68. & alii contra Zoës. *in comment. in l. 3. decret. b. r. num.* 9. Covar. *in c. alma mater. p. 1. §. 2. num.* 11. Avil. *p. 2. c. 6. d. 9. du. 6.* Engels. *b. r. num.* 9. quos citat & sequitur Reiffenst. *b. r. num.* 85. nimirum prohibitionem illam sepulturæ post *Extravag. ad evitanda*, non habere locum in omnibus excommunicatis notoriè, sed solum in excommunicatis publicè denunciatis ac vitandis, dum ex eo, quòd cum quibus vivis prohibetur communicatio, cum iis etiam mortuis communicatio quòd ad sepulturam rectè prohibeatur, bene à sensu contrario sequatur, quòd cum quibus vivis licitum erat communicare (quales sunt excommunicati notoriè quidem sed tolerati, seu non vitandi) cum iis quoque mortuis quòd ad sepulturam liceat communicare, adeòque hoc ipsum satis in citata Constitutione Martini V. *ad evitanda* contineatur, ut proinde non satis efficaciter in contrarium urgere videatur, quòd adversarii pro præcipuo suo fundamento habent, nimirum



rum quod in dicta constitutione sua Papa dicat, se per hoc, nimirum quod concedat fidelibus innocentibus ad vitanda pericula & peccata, communicationem cum excommunicatis necdum denunciatis: non intendere excommunicatos ipsos in aliquo relevare aut iis, quomodo libet suffragari; dum illa sepeliendi prohibitio, ut ait Pirh. propriè non cadat in ipsos excommunicatos, sed in alios fideles, ne corpora eorum sepeliant, quibus non aliter aut magis prohibita est communicatio per sepulturam, quam quævis alia communicatio. De cætero falsum est fundamentum, quo nixus id asserit Zoëlius, nimirum, quod per sepulturam uniuscujusque excommunicati, etiam non vitandi, violeatur Ecclesia seu locus sacer, ac ita inhabilis reddatur ad celebranda ibidem divina & sepeliendos alios fideles. Priusquam reconcilietur; cum id solum verum sit, si in eo sepultus excommunicatus denunciatus & vitandus juxta *c. consuluit. 7. de Consecrat. Eccle.* & quidem ut talis exhumandus sit, si à reliquis corporibus ibidem sepultis, discerni possit, *C. sacris. h. t. c. 7. de Consecrat. Eccle. c. 28. & 29. de Consecrat. dist. 1.* Barbof. *in c. 27. eod.* cum communi, locusque, si sit consecratus vel benedictus, necessaria sit reconciliatio, solennis quidem facta ab Episcopo, si fuerit Ecclesia consecrata, si solum benedicta, sufficiat Sacerdotalis benedictio facta à Sacerdote per aquam benedictam, quæ reconciliatio proinde opus non est, dum Ecclesia, in quibus hæretici suum exercitium diu habuerunt, eorumque corpora sepulta jacent, recipiuntur à Catholicis; cum per eorum, utpote non excommunicatorum denunciatorum ac vitandorum, sepulturam non fuerint polluta, quamvis decens esse, ut tales Ecclesie simplici aqua benedicta per Sacerdotem aliquem aspergantur, antequam denuo in iis divina celebrentur, cum Laym. *L. 5. c. 5. num. 13. addit. 5.* dicat Pirh. *h. t. num. 71.* quem vide de his pluribus *num. 69.* qui etiam *num. 73.* quod, etsi excommunicatus vitandus mortuus sit editis magnis signis contritionis, citra tamen absolutionem ab excommunicatione, sepeliri non debeat in loco sacro, priusquam ab ea, etiam post mortem, fuerit absolutus, & si ante absolutionem jam sepultus fuerat in loco sacro, quamprimum adhuc debeat absolvi, ut Suar. *l. c. S. 4. num. 3.* ne alias adhuc exhumandus sit, quod multò magis dicendum, dum tales excommunicati absolutionem petierunt, & per eos non steterit, quò minus reconciliarentur, ut Pirh. *num. 66.* cum Gl. *in c. sacris. h. t. v. non communicatis denunciatis*, dicendum de nominatim interdicitis, quòd in loco sacro sepeliendi non sint juxta *Clem. 1. h. t. & c. 11. de pœnit. & remiss.* & Gl. *de off. Episc. c. 17. n. 4.* Barbof. *de off. Paroch. n. 41.* Pirh. *cit. n. 66.*

5. Quartò sepulturâ sacrâ privantur manifesti usurarii per *c. 3. de usuris.* idque, etiamsi pœnitentiam agant, imò in ultima voluntate mandent, acquisita per usuram restitui, nisi actu restituant, vel saltem de restitutione faciendâ idoneam cautionem præstent, prout expressè statuitur. *c. 2. de usur. in 6.* idem statuitur *in c. 12. de pœnit. & remiss.* de eo, qui citra probabile impedimentum tempore Paschali Eucharistiam sumere intermisit, item per *c. 19. de decimis.* dicitur de eo, qui decimas Ecclesie non restituit. Item per *c. 16. caus. 13. q. 2.* de publico & notorio peccatore, qui in peccato mortali decessisse præsumitur, v. g. in ipso actu inexcusabiliter mortaliter peccaminoso occisus, vel repente mortuus est.

6. Quinto, qui in Torneamentis seu hastiludiis, ex quibus probabile mortis periculum imminet, moriuntur, etsi ante mortem Sacramenta Communionis, & Pœnitentiæ susceperint. Pirh. *h. t. num. 77.* juxta *c. 1. & 2. de torneamentis.* Idem dicendum de iis, qui lucci causâ cum bestiis certant. Perez. *ad eod. de gladiat. pen. toll. Carpz. Jurist. consil. l. 2. d. 381. num. 8. & seq.* Idem est de occumbentibus in duello, juxta Trident. *sess. 25. a. 19. de reform.* quod decretum tamen Sanch. *L. 2. mor. c. 39. num. 22.* & alii, intelligendum esse censeant de solo duello solenni inito cum adhibitione patrinorum aliarumque solennitatum, extensum tamen postmodum cum omnibus pœnis in eo contentis per Gregor. XIII. in ejus motu proprio incipiente. *Ad tollendam anno 1582.* & per Clementè VIII. in motu ejus proprio incipiente: *Illius vocer. de anno 1590.* ad duella privata, quæ fiunt ex condicto, certo loco & tempore designato, etsi sine patrinis, & sine litteris provocatoris transmissis aliisque ceremoniis, ut Sanch. *l. c. num. 20. & 21.* Pirh. *num. 77.* sed &, si finis ac tenor harum Bullarum, præsertim Clement. VIII. attendatur, comprehenduntur quoque quòd ad privationem sepulturæ sacræ illi, qui pro defendendo honore, & ne reputentur timidi, & hinc minus æstimentur, vel etiam officio priventur, ad duellum provocant, aut etiam provocati illud acceptant. Secus de iis dicendum videtur, qui, dum invaduntur, justâ defensionis gratiâ illud suscipiunt. Sed de hoc alibi. notanda tamen hic verba Trid. *l. c.* dum ait: *Si in ipso conflictu decesserint; perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ:* Ex quibus à sensu contrario rectè inferri videtur, non debere carere debitâ sepulturâ, si licet lethaliter vulnerati in duello, non tamen in illo, sed postmodum alibi ex eo vulnere decesserint; cum in pœnis mitior faciendâ interpretatio juxta *c. 49. de R. 7. in 6.* Reiffenst. *h. t. n. 80.* Engels. *h. t. n. 21.*

7. Sextò, privantur sepultura sacrâ, qui ex impatience, ira, tædio vitæ, desperatione, metu supplicii acerbioris, aliave simili causâ se occiderunt. *c. placuit. 12. caus. 23. q. 5. & ibi Gl. V. sepulturam.* Farinac. *pr. crim. q. 128. num. 17.* Covar. *Var. resol. l. 2. c. 1. n. 11.* Pirh. *h. t. 64.* Extenditurque hoc ipsum ad eum, qui non coactus, etiam stupri vitandi gratia, cum certo periculo mortis, & sine speam evadendi præcipitaret se. v. g. ex alto vel in flumen, quod non est licitum. Pirh. *n. 65.* Arg. *c. 11. h. t.* junctâ Gl. quia talis sponte & ex intentione se ipsum occidendi, conicere se censetur in tale periculum. E contra non extenditur hæc pœna ad eos, qui ad effugiendum grave v. g. incendium; hostes infrequentes, intentatum puellæ stuprum conicere se in proximum & manifestum mortis periculum. v. g. è fenestra, vel in flumen absque tamen intentione se occidendi, & cum aliqua spe evadendi mortem; cum, etsi in tali casu moriatur, mors tamen per accidens adhuc subsæcuta censetur, adeoque illi ad culpam imputari non debet, ita habet communis. Arg. *c. 11. h. t.* Idem dicendum de reliquis decedentibus in casibus, in quibus se ipsum indirectè occidere licet. Excipiuntur de cætero, qui in amentia se ipsos occiderunt, item qui animo se occidendi se lethaliter vulnerarunt, dum aliquamdiu adhuc superviventes pœnituerint; quia jam in peccato mortali non decedunt. Sylv. *V. sepultura. num. 9.* & Gol. *l. c. q. 9.* Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n. 88.* Arg. *c. 2. & 4. de stat. Monach. & 20. de sent. excom.* Item excipiuntur, qui reperiuntur mortui.

v. g. in puteo, vel laqueo suspensi, veneno interempti, nisi certo constet, eos se ipsos interemisse, vel eos jam antea sanæ mentis, agitalle talia consilia, aut manifestè appareat ex circumstantiis, à nullo alio, quàm à se ipsis potuisse talem mortem obire. aliàs enim indubio præsumendum non est, eos in se ipsos tam grande scelus & crudelitatem admisisse, dum ab aliis per insidias vel vim talia illis inferri potuerint. & ita tenent locin. jun. l. 1. conf. § 1. Navar. l. 3. conf. 7. h. t. Covar. l. c. c. 1. num. 11. Barb. de off. paroch. p. 3. c. 26. num. 49. Pirh. l. c. quoscit & sequitur Reiffenst. num. 89. Nihilominus etiam in via publica vel aquis inventos mortuos privata autoritate tollere & sepelire non licet, priusquam Magistratui indicetur, & ab eo, cui id competit, inspiciantur. Vafq. 3. illust. 99. 96. n. 10. Mull. in Struv. ad ff. de relig. & sump. fun. th. 81. occisi enim cadaver tollere primus jurisdictionis gradus usu communi reputatur. Besold. in polit. p. 1. c. 12. n. 78. vers. 4. Carpz. jurisp. consistor. l. 2. de cr. 375. num. 11. De reis verò mortuis in carcere, aut etiam in tortura variè loquendum. esse illos privandos sepulturâ undequaque honestâ, conveniunt ferè omnes Muller. l. c. tit. 14. si tamen suspecti etiam de crimine atrocissimo, necdum tamen confessi, aut convicti, multò minùs condemnati, non quidem privandos planè sepulturæ honestæ, caremonias tamen aliàs consuetas nullas, aut non omnes pro rerum circumstantiis ex determinatione magistratûs adhibendas. Muller. l. c. remittens ad Carpz. jurisp. consistor. l. 2. def. 380. & in prax. crim. p. 3. q. 131. si de crimine confessi & convicti, dum necdum constat de corpore delicti; adhuc sepultura canina seu afinina (qualis dicitur, dum carnifex cadaver projicit aut in locum inhonestum insect) afficiendos non esse, etiam si ex conjecturis & præsumptionibus, veritas colligi possit, caremonias tamen ordinarias omitti, astruit Muller. l. c. remittens ad Carpz. in prax. crim. l. c. si confessi & convicti, necdum tamen ad pœnam capitalem condemnati, mortui sint, si crimen est ex atrocissimis v. g. læsæ majestatis, sodomix, sacrilegii, sepulturâ caninâ sepeliendi. Carpz. l. c. num. 38. Hahn. ad Wesenb. tit. de cadav. puni. Muller. l. c. si convicti, confessi, condemnati ante executionem mortui, & crimen sit ex atrocissimis, pro ratione criminis, suspendio, combustione, rotâ, ac si adhuc in vivis esset delinquens, in cadaver defuncti animadvertendum, cum ferè communi, ut ait Muller l. c. tradunt, quos citat parisi. de puteo, tr. De syndicat. v. mortuus, num. 2. Farinac. in pr. crim. §. ult. q. 52. Hahn. l. c. quamvis id ipsum nimis rigorosum videatur Carpz. l. c. num. 49. ac proinde putat, sufficere, si ex urbe tractus per carnificem sepeliatur penes patibulum. Denique leprosos, etsi non priventur exinde sepulturâ sacrâ, non tamen sepeliendos in communi loco cum aliis; eo quòd, qui in vita non communicarunt cum aliis, cum iis etiam communicare non debeant in morte, duretque insuper adhuc timor infectionis ex ipso actu sepulturæ. cum Abb. in C. sacris. h. t. num. 6. astruit Pirh. cit. num. 77. in fine. ac propterea leprosis permitti proprias Ecclesias cum Cæmeterio per c. 2. de Eccles. adif. inquit idem. peste quoque defuncti etiam prohibentur sepeliri in loco consueto & cæmeterio publico, imprimis, si urbi proximum est, ne aër exhalationibus putridis, quæ ex istis sepulchris oriri solent, corrumpatur, & sani inficiantur, unde incumber Magistratui curare specialia loca pro illis sepeliendis deputari. Muller. in Struv. ad ff. de religiof. & sump. fun. th. 80.

Quæst. 799. Quam pœnam incurrant sepelientes eos, qui jure prohibentur sepeliri?

Resp. verbis ipsius Clement. 1. h. t. eos, qui propria temeritatis audaciâ defunctorum corpora non sine contemptu clavium Ecclesiæ in cæmeteriis interdicti tempore in casibus non exceptis à jure, vel excommunicatos, publicè vel nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt, decernimus ipso factò excommunicationis sententiâ subiacere, nullo eis exemptionis aut quovis alio privilegio sub quacunque verborum forma concessò, aliquàlter suffragari. Unde infertur primò, hanc excommunicationem non incurrere illos, qui suicidas, infantes non baptizatos aliosque in hac Clement. non nominatos sepeliunt, etiam in loco sacro; cum lex pœnalis ultra casus & personas in ea expressas non sit extendenda. Secundo eos, qui personas in ea expressas, adeoq; & excommunicatos vitandos sepeliunt in locis non consecratis, benedictis aut ad sepulturam Ecclesiasticam deputatis, sed in locis privatis & profanis, puta alicubi in campis Gl. in cit. Clem. v. cæmeteriis. Suar. de cens. D. 12. f. 4. n. 8. Pirh. h. t. num. 79. aut etiam in locis Ecclesiæ vel cæmeterio contiguis, non tamen ad usum ecclesiasticæ sepulturæ deputatis, adeoque adhuc profanis. Gl. cit. Suar. l. c. num. 7. Pirh. l. c. contra Abb. in C. sacris, num. 3. Tertiò neque eos qui nominatas in ea personas ex ignorantia, etiam culpabili, aut metu gravi coacti sepeliunt Gl. cit. v. scienter. Suar. l. c. num. 9. Pirh. l. c. Reiffenst. h. t. n. 95. Arg. cit. Clem. dum ibi dicitur. scienter præsumunt. & qui propria temeritatis audaciâ. Quarto incurri hanc excommunicationem à religiosis etiam exemptis, sepelientibus dietas personas in suis Ecclesiis, unde & Episcopus seu ordinarius loci potest illas ibidem sepultas facere exhumari, etiam intrando loca exempta (qualem aliàs potestatem exerceri nequit extra hos casus in locis exemptis) cum cit. Clem. Deroget omnibus privilegiis contrariis. Pirh. h. t. num. 50. Porro quoniam hic veniant nomine sepelientium, non ita certum; unde Gl. in cit. Clem. v. sepelire. optat fieri desuper declarationem principis. Anchoran. in cit. Clem. num. 10. Pirh. l. c. censent, non solum venire illos, qui corpus in sepulchrum immittunt, sed & illos, qui sepulturam procurant mandant, concedunt, ut sunt rectores & parochi Ecclesiæ, non tamen juxta Suar. l. c. num. 10. & 11. Pirh. l. c. consulentes tantùm, vel non impediendos idem venire omnes cooperantes ad sepulturam. v. g. suis humeris corpus ad sepulturam deferentes, non tamen sepulchrum effodientes, tener Abb. hic num. 22. quinimò veniendos omnes qui funus comitantur, cantant, crucem & luminaria deferunt, censet Anchoran. l. c. dissentiente cum Abb. Pirh. l. c. quamvis & hi juxta communioem peccent, cum ut Pirh. excommunicati, qui Ecclesiasticâ sepulturâ privantur, hoc ipso etiam privati censeantur omni honore & pompâ funeris, utpote ordinata ad sepulturam Ecclesiasticam, & quadam communicatio cum defuncto. Ad hæc indecens sit, ut talis defuncti corpus cum illis caremoniis Ecclesiasticis deferatur ad locum profanum, dum in loco sacro sepeliri nequit, ita cum Suar. l. c. num. 24. Pirh. l. c.

Quæst.

*Quest. 800. Quid sit circa jus, interveniendi funeribus præcipue competens parochi, dum defunctus sepeliendus in Ecclesia regularium & quid portio canonica ratione sepulture & debita, unde, cui, à quibus solvenda?*

**R**esp. Ad primum sufficienter responsum per plures numeros *in foro benef. p. 1. q. 453.* quæ vide. videnda quoque; quæ desuper habet Reiffenst. *h. t. à n. 24.* ad cætera quoque singula accuratè responsum *in meo foro benef. p. 1. q. 454. & sequentibus usque ad quest. 460.* videri quoque poterunt, quæ desuper habet Reiffenst. *h. t. à num. 44.* ad quest. 64.

## CAPUT II.

### De actionibus competentibus occasione funeris.

*Quest. 801. Quenam dentur actiones occasione sepulture?*

**R**esp. Earum dantur octo species. tres concernentes ipsum funus & jus sepeliendi, nimirum actio in factum de funere ducendo. interdictum de mortuo inferendo. actio in factum de funere in locum alterius illato. quatuor concernentes sepulchra in ordine ad eorum religionem defendendam, nempe interdictum de sepulchro adificando. interdictum ne quid in loco sacro fiat. actio sepulchri inhabitali. actio de sepulchro violato. Una, dicta funeraria, concernens sumptus in funus impensos. ita Muller. *l. c. th. 75.* loquendo nunc de harum actionum aliquibus in specie.

**2.** Primò actio in factum de funere ducendo fundatur in dicto, quo cavetur ut funus ducere liceat, ne corpora aut ossa mortuorum detineantur aut videntur, neve prohibeatur, quò minus viâ publicâ transferantur; continet edictum hoc, respicitque hæc actio utilitatem publicam, ne scilicet hac ratione corpora contra publicam honestatem & utilitatem maneat insepulta. Struv. *in ff. de relig. & sumpt. fun. th. 83.* competit ei, qui impedit mortuum inferre in locum quo jus inferendi habet. *l. 8. §. ult. cit. t.* estque perpetua, unde non tantum competit adversus eum, qui ipse injustè funerationem impedit sed & contra hæredes illius ad omne id, quod interest funerantis, non fuisse impeditum. Lauterb. *in cit. t. §. 20. juncto §. 21.* Muller. *ibid. th. 83.* juxta *cit. l. 8. & l. 9. ff. b. t.* atque in specie (quidquid olim in contrarium apud gentes aliquas factum, & modò alicubi fieri dicatur de quo videndus Muller. *l. c.*) propter as alienum debitoris sepulturam impedire, ejusque cadaver arecto detinere injustum, inhumanum crudelitati proximum, communi consensu consentiunt AA. Farinac. *pr. crim. l. 1. tit. 3. q. 20. num. 139.* Covar. *Var. res. sol. tom. 2. vol. 3. num. 10.* Muller. *l. c.* Lauterb. *§. 22.* Brunem. *ad l. 38. ff. cit. t.* Mevius de arresto. *c. 8. num. 225.* ubi id ampliat & limitat. communi huic DD. consensui plures LL. ad stipulantur ut *l. fin. c. de sep. viol. nov. 60. c. 1. pr. novel. 115. c. 3. §. 1.* variâ etiam talibus detentoribus & arrestantibus cadavera debitorum pœnas statuentes: nimirum ut præter debiti iacturam tantundem hæredibus defuncti solvereteneantur, & tercia bonorum parte publicatâ, perpetuam infamiam notam incurrant: præterquam quòd hæredibus defuncti actio injuriarum reservetur, ut Muller. quas pœnas adhuc in usu esse apud eundem *l. c.* testantur Carpz. *p. 1. c. 30. d. 22.* Richter. Besol. & alii, & hæc obtinere, et-

iamsi debitor mortuus obligatus fuisset mediante instrumento quarentigato vel latâ contra mortuum sententiâ, non obstante consuetudine, statutove in contrarium prætenso, ut citatis Carpz. *ubi antè.* Boër. *decis. 182.* & Covar. Muller. *c. fin. de consuetud.* nihilominus omnia dicta pari restrictionem in uno casu dicit Marant. *tr. de ordin. judicior. p. 4. disti. 11. vers. 25.* nimirum, dum potest judex Ecclesiasticus arrestare corpus mortuum alicujus usurarii, & facere, ut non sepeliatur, donec illius hæres caveat de usuris restituendis. pro quo citat Angel. *in novel. 60.*

**3.** Secundo interdictum de mortuo inferendo, simile actioni in factum de funere ducendo (à quo tamen in quibus differat, vide apud Muller. *ad ff. de mortuo inferendo th. 92.*) est prohibitorium, quo vetat prætor, ne illi, cui jus est altero etiam invito, inferendi aliquid mortuum, vis fiat, neve ullâ ratione molesteur, viâ vel itinere arceatur vel aliâ servitute debita in ordine ad inferendum mortuum prohibeatur *L. 1. pr. & §. 4. ff. de mort. inferend.* competit hoc interdictum domino proprietatis fundi *cit. l. 2. §. 2.* itemque socio in fundum communem mortuum inferre volenti contra omnes vim facientes, aut viam ocludendo, vel negando, impedimentum struentes. adeoque etiam contra usufructuarium fundi & socium prohibentem illationem. Struv. *in cit. t. th. 94.* utpote qui suum interesse postea certo remedio consequi possunt, dum nimirum usufructuario conceditur actio in inferentem ad recipiendum, in quantum propter locum electum minutus & usufructus. *L. fin. cit. t.* socio adversus socium actio communi dividundo, vel certo respectu familiaris hereditaria, non quidem, ut inferens conventus illatum cadaver tollat, sed ut ratione illius loci jam per illationem facti religiosi ipsi satisfiat. Arg. *l. 43. cit. t. & l. 3. comm. divid.* Muller. *ad Struv. cit. th. 94.* quin etiam ratione itineris; cum favor sepulture sit tantus, ut etiam non habenti viam ad sepulchrum præses vicinum compellere possit, iter justo pretio præstare juxta *L. 12. cit. t. de mor.* Porro etsi hæc locum hodièdum non habeant ratione loci per illationem redditu religiosi, utpote quòd hodièdum non sit, contingere tamen potest, ut ab inundationes, hostilitatem aliamve gravem causam viâ publicâ ad cimiterium deferri nequeat, aut aliâs per agros & prata vicinorum necessario transeundum, iis invitis obstantibus, aut etiam armis prohibentibus, iter impediatur, adeoque hoc interdicto utiliter agatur. Struv. *L. c. th. 91.* Cæterum, ut Idem *th. 97.* & cum eo Muller, liberum est ei, qui mortuum inferre prohibetur illatâ vi, uti hoc interdicto, vel aliò mortuum inferre & postea in fa-

in factum agere, perque eam actionem consequi, quantum ejus interfuit prohibitum non esse.

4. Tertio actio in factum de funere, ut in locum alterius non inferatur, orta ex interdicto prætoris, contra cujus edictum facta illatio, de mortuo non inferendo, de qua *L. 2. §. 2. ff. de religiof. & sumpt. fun.* datur adversus eum, qui mortuum in locum intulit, aut inferri curavit, in quem jus inferendi seu sepeliendi non habuit, idque sive intulerit scienter, sive ignoranter, quia proprie ex delicto non venit, ut *Lauterb. in ff. cit. t. §. 16.* item contra ejus hæredes, quippe qui commodum inde sentiunt *Struv. Muller. l. c. Lauterb. §. 7. innixi L. 2. §. 1. cit. t. quid verò dicendum ad L. 6. §. 6. ff. comm. dividund. vide apud eosdem. competit verò hæc actio ex ipsis verbis L. 2. §. 1. ff. de religiof. & sumpt. fun. directa domino proprietatis fundi ejusque hæredi per L. 7. ff. eodem. non tamen competit solum possessori bonæ fidei; quia dominium verum non habet. *Arg. cit. L. 2. §. 1. Struv. l. c. th. 76. Muller. ibid. lit. y.* quamvis tamen *Struv.* dicat actionem utilem videri ei concedendam, competit quoque hæc actio usufructuario istius loci, qui tamen impedire nequit, quò minus ipse dominus proprietatis inferri possit, si aliò tam opportunè inferri nequiret; item ei, cui servitus in eo debetur; quippe quorum conditio per talem illationem fit deterior. *Struv. & Muller. l. c. lit. e. juxta L. 2. §. 7. & L. 8. §. 4. non tamen creditori, seu ei, cui fundus ille pignori datus, ut iidem cit. L. 2. §. ult. Competit denique hæc actio ad id, ut inferens vel tollat illatum vel loci aestimationem seu pretium præstet cit. L. 7. Lauterb. §. 18. Struv. Th. 78. unde & rei persecutoria adeoque perpetua per L. 7. ff. de relig. & sumpt. fun. quia per eam dominus suum interesse petit, & non datur ad eum coëcendum sed ad damnum, quod actor per dictam illationem passus, ab eo avertendum. *Lauterb. l. c. Muller. th. 77.* ità tamen datur domino, ut reo competat electio alterutrius, sicut regulariter, ubi alternatim fit condemnatio. & quamvis iniquum videatur dominum invitum carere debere re suà (uti fieri posset, si reus eligeret præstationem pretii, in favorem tamen religionis id permittitur, & receptum est per *L. 10. §. fin. ff. de relig. & sumpt. ità iidem.* Quòd si tamen locus, in quem inferitur corpus, jam per sepulturam alterius effectus religiosus, adeoque jam positus extra commercium & nullam recipiens aestimationem, non ad pretium, sed ad pœnam pecuniariam (cujus rationem tunc habere pretium solutum, ajunt *Struv. cit. thesi. 78. & Muller. ibidem)* agendum *L. 3. ff. de sepulch. violat.* qui verò intulit in locum publicum seu usibus publicis destinatum, dolo malo, arbitraria modicâ coërcitione punitur, & si sine dolo id fecit, absolvendus est. *Lauterb. cit. §. 18. in fine Struv. & Muller. l. c. th. 79. juxta L. 8. §. 2. ff. de relig. & sumpt.* Interim loci dominus (etsi per istiusmodi injustam illationem non amitteret dominium, vel etiam is non evaderet religiosus) aut alius, cujus interest sine justa alia causa illatum cadaver propriâ autoritate exhumare & ejicere nequeat, non obstante, quòd quis licitè**

propriâ autoritate possit destruere, quod alius in ejus fundo eo invito extruxit; cum generaliter prohibitum sit per *L. 8. & 39. ff. & L. 1. c. cit. t.* ossa hominis animo sepeliendi illata eruere & alio transferre, ità *Lauterb. §. 15.* Porro tamen hodie videtur non esse usus hujus actionis, dum sepultura non est ità privati arbitrii in quocunque loco nullusque locus profanus sola illatione cadaveris pro cuiusque privati voluntate facta sit religiosus. Nichilominus tamen etiam hodie, dum loca sepultura publica & publicè constituta, esse huic actioni locum ex eo patet, quod in iis ipsis multi singularia sepulchra habeant, in quæ si quis injustè non habentem jus ad hoc intulerit, utili hac ratione conveniri potest, ità *Lauterb. l. c. §. 19. Struv. ad ff. de relig. & sumpt. fun. th. 80. lit. a. Muller. ibid. Hahn. ad We. senbec. tit. eod. num. 4.*

5. Quarto inter spectantia ipsum sepulchrum est interdictum de sepulchro ædificando, quò prohibet prætor inferri vim volenti ædificare sepulchrum novum, aut vetus rescire eo loci, in quem mortuum inferendi jus habet. *L. 1. §. 5. ff. de mort. inferend. & sepulch. ædific.* cujus prohibitionis causa *cad. L.* hæc additur; quòd monumenta seu sepulchra ædificari & ornari religionis interest. Ac ità hæc religio non solum apud veteres intercessit, sed & hodie adhuc observatur apud personas & familias maxime illustres, ut ab iis etiam in Ecclesiis ad memoriam & honorem defunctorum cænotaphia erigantur, lapides sepulchrales ponantur, quin & vexilla affigantur. Datur itaque hoc interdictum contra quoscunque, quovis modo istam ædificationem & exornationem impediendes, etiam eos, ut *Muller. in ff. cit. tit. th. 99.* qui prohibent materiam tali ædificio necessariam conveyi. prohibere tamen poterunt ædificationem iis, in quorum præjudicium ædificaretur, facta hac prohibitione statim ab initio cum novi operis nuntiatione; cum opere facto non detur alia actio, quam quòd vi vel clam. *L. 3. cit. iii. Muller. l. c.* quamvis etiam hujusmodi monumenta magnifica, præcipue in Ecclesiis excitari non posse videantur, nisi cum petito & obtento assensu eorum, ad quos pertinent Ecclesiæ, & qui earum curam habent. posse tamen in Ecclesia patronata, seu quæ fundatorem habet, sine hujus consensu, quin & eo invito, constructi sepulchrum vel etiam capellam; quia exinde nullum adfert præjudicium, & Ecclesiæ confertur beneficium, quod, cum patronus procurare teneatur, esset irrationabiliter invitatus tradit *Delb. de immun. Ecclesia. c. 17. dubit. 14. n. 19.* citatis pro hoc *Lamberdin. de jurep. l. 1. p. 1. q. 3. a. 17. Lavor. var. tom. 1. tit. 2. c. 9. n. 83. Peyer. in tom. 1. privit. minimor. in consil. 26. Leonis X. num. 50.*

6. Quinto loco venit actio de sepulchro violato, quæ violatio censetur crimen atrocissimum sacrilegio proximum. *L. 5. c. de sepulch. viol.* variisque modis contingit, puta, corpora sepulta aut ossa vel reliquias extrahendo, in eo ædificium ad alium quam ad sepulchri usum habendo, saxa vel columnas auferendo, ornamenta & monumenta defirmando, aliudve demoliendo, terram evertendo, cespitem evellendo, aliave ratione sepulchri conditionem deteriore reddendo, de quibus *L. 3. §. 6. L. 7. ff. L. 2. 4. & §. c. de sepulch. viol.* Actio de sepulchro violato describi potest, quòd sit actio civilis in factum, prætoris, qua is, cujus intererat, vel quisvis de populo agit adversus dolosos sepulchri violatores ad id, quantum ejus interest, æquum judicabitur ad pœnam 100. vel 200. aureorum sibi applicandam.

plicandam. *cit. l. 3. pr.* Ex quibus deducuntur sequentia: primo quod competat ei, ad quem jus sepulchri pertinet, *cit. l. 3.* vel cuius interest, puta, agnato, cognato, hæredi necessario, licet se bonis defuncti non immiscuerit. Lauterb. *in ff. de sepulch. viol. §. 3.* et si nemo horum adsit, aut agere voluerit, datur cuiquæ de populo agere volenti. *cit. l. 3.* et si agere plures velint, prætoris est, unum ex iis eligere, scilicet magis idoneum, vel cuius causâ iustissima videbitur. Lauterb. *l. c. juxta tit. l. 3. §. 2. ff. de pop. alt. ita tamen, ut, si antequam lis ab eo contestata fuerit, aliquis, cuius intererat, pœnitentiâ ductus adhuc agere velit, hic præ illo sit audiendus. cit. l. 3. §. 10.* non tamen audiendus causâ finitâ, etiamsi causâ reip. abfuerit. *L. 6. ff. eodem.* competit adversus dolosos sepulchrorum violatores; non tamen contra doli incapaces, & qui animum violandi non habent. *cit. l. 3. §. 1.* neque iis, qui sepulchra hostium diruunt & lapides inde sublatos in quemcunque alium usum convertunt. Lauterb. *§. 4.* citans *L. 4. ff. h. t. §. 36. ff. de relig. §. sumpt. fun.* quamvis ipsa defunctorum, quos nemo hostes indicat, corpora contrectare nefas dicat Grot. *de jur. B. & P. l. 3. c. 5. §. 3.* quin &, ut Decian. *tr. crim. l. 6. c. 44. num. 9.* jure belli sepulchra diruere semper fuit propudiosum. competit ad civilem pœnam exigendam, quæ diversa est, dum ei, ad quem sepulchrum spectat, datur ad interesse, quanti iudici æquum videbitur. *cit. l. 3. §. 6.* æstimatur autem ex factâ injuria, item ex lucro violentis & damno illato, vel etiam temeritate delinquentis, quem iudex nunquam minoris condemnabit, quam in 100. aureos. *cit. l. 3. §. 8.* ad quos etiam damnandus, si ob simplicem violationem egerit, extraneus; ob dolosam tamen habitationem vel ædificationem in sepulchro factam, ad 200. *cit. l. 3. cum gravius censeatur locum religiosum permutationibus polluere, & in alios usus convertere juxta l. 12. ff. de relig.* Lauterb. *§. 5.* Bocer. *claf. 4. disp. 9. th. 27.* Hanc verò pœnam non dividendam inter fisco & actorem, et vult Welenbec. Sed totam cedere actori juxta ordinariam actionum popularium naturam, verius censet Lauterb. *l. c.* cum Brunem. *ad l. 1. c. h. t. num. 4.* Bardili. & aliis Arg. *L. 12. ff. de V. S.* dum ibi dicitur: post litem contestatam actor fiat creditor, adeoque & ipsi non fisco debetur, ne alius diceretur fisco debitor, & actor tantum fisci procurator. De cætero agitur quoque ex hoc delicto criminaliter, pœnaq; pro diversitate casuum diversa infligitur. Et quod si quis armatâ manu more latronum sepulchrum violavit, ultimo supplicio punitur. *cu. l. 3. §. 7. ff. h. t.* si sine armis violatum, epitaphiis solum corruptis, faxis marmoreis aliæ materia fabricandi causâ ablata, villam, vel ædificium ad quod ista materia provecta fisco inferre tenetur reus *per l. 2. c. h. t.* & insuper eidem 10. pondi auri solvere *per l. 4. c. h. t.* violatum verò extractis & erutis corporibus, viliores quoque ultimo supplicio, honestiores deportatione puniuntur; pœnasque hæc adhuc hodie obtinere testantur Hahn. Bard. Carpz. & Schilter. apud Lauterb. *l. c.* quin & si corpora extracta, spoliata & insepulta relicta, aut delictum sæpius iteratum, aliæque circumstantiæ aggravantes concurrant, ad pœnam gladii deviniri posse tradunt Berlich. *p. 5. concl. 47. num. 8.* Carpz. *7. F. p. 4. c. 34. def. 2.* & alii apud Lauterb. *§. 7.*

R. P. Lewr. *Jur. Can. Lib. III.*

Quæstio. 802. Actio funeraria quæ & qualis sit?

Resp. Ad primum & secundum. actio hæc breviter describi potest, quod sit actio personalis, quæ quis expensas funeris causâ factas repetit ab eo, ad quem eas facere pertinebat. sumitur ex *l. 12. §. 2. l. 14. §. 6. ff. de relig. §. sumpt. fun.* dicitur *personalis.* quia oritur ex quali contractu, dum funerans seu eas impendens cum defuncto contrahere creditur. *l. 1. ff. cit. 2.* quandoq; etiam cum hærede, dum nimirum negotium hæredis gerens funeravit. *l. 14. §. 15. cit. eod.* Est quoq; & dicitur prætoria Lauterb. *§. 26. tit. eod.* & AA. passim, ut videre est apud Azo. *in sum. eod. ad cit. tit. n. 23.* Perez. *ibid. n. 9.* Franzk. *ibid. n. 28.* Brun. *ad l. 14. n. 17. eod.* Arg. *l. 12. §. 2. eod.* dum ibi edictum prætoris de istiusmodi sumptibus funeris recuperandis expressè proponitur. nihilominus contrarium, seu esse actionem civilem, demonstrari à *l. 17. §. 3. commod. l. 8. c. de negot. gestor. ait Mull. ad ff. cit. t. th. 84. lit. b.* citatis pro eodem aliis; eò quod non omnia, quæ edicto prætoris proponuntur, ratione suæ introductionis & primæ originis sint prætoria. Arg. *l. 2. ff. commod. l. 1. §. 1. ff. de pos. cum prætores non solum prætorias, sed & civiles actiones suis edictis proponebant.* Unde etiam, dum prætor indicto suo pollicetur, se actionem daturum, id ita non semper intelligendum, ac si actio illa antecedenter non extitisset, ac ita suos natales, ut inquit Muller. ipsi prætori, tanquam suo auctori, deberet; sed quod præter actionis ipso jure jam competentis, & extra suas causas existentis exercitium actori concedere, ejusdemque in iudicium deducenda, & ibi ventilanda coram iudice pedaneo copiam largiri velit. Est quoque subsidiaria, quia non competit, nisi deficientibus aliis remediis *L. 14. §. 12. §. 15. h. t.* ex quo tamen non inferendum esse prætoriam, ait Muller. *l. c.* cum omnem actionem subsidiariam asserere non sit omnino tutum, ut Kurrer. *dissert. de act. fu. th. 3.* Esse etiam non stricti juris, ut volunt Hann. *in resol. l. 4. p. 2. q. 29.* Zoës. *in comment. ff. h. t.* Azo & c. censent Lauterb. *l. c.* Muller. *l. c. th. 85. lit. y.* Hahn. *ad ff. de religiof. §. sumpt. num. 6.* Bachov. *de action. d. 6. th. 7.* Kurrer. *l. c. th. 4.* Arg. *L. 14. §. 13. cit. t.* & quamvis ea *§. 28. Inst. de action.* non reperitur relata explicitè inter actiones bonæ fidei, continetur tamen implicite sub actione negotiorum, quæ est bonæ fidei; quamvis ab ea in hoc differat, quod major in illa, quam actione negotiorum gestorum servetur æquitas *cit. l. 14. §. 13.* Lauterb. Muller. *LL. cit.* vide hunc posteriorem de hoc fusiùs *th. 86. lit. y.* Est item perpetua, ut iidem juxta *L. 31. §. 2. tit. eod.* Est denique privilegiata in hoc, quod, cum impensa funerum ante omnia debita deducantur ex hereditate. ut juxta *L. 45. cit. t.* Covar. *in c. Raynald. §. 3.* de testam. num. 2. Garcias *de expens. c. 8. num. 23.* Negulant. *de pign. p. 5. memb. 2. num. 28.* hic creditor seu præstans expensas funeris reliquis omnibus creditoribus, etiam anteriorem hypothecam habentibus, sit præferendus. *L. 18. 19. 45. cit. t.* Lauterb. *l. c.* Mull. *l. c. th. 89. lit. a.* idque propter utilitatem publicam, ne cadavera jaceant insepulta, ut Jason *in l. ult. §. 9. c. de jur. delib.* quæ ratio, quia locum habet, sive, qui sumptus fecit, sit hæres, sive non, in merito hoc privilegium restringitur ad hæredem à Surdo *decis. 112. n. 4.* Extenditur hoc privilegium prælationis sumptuum funeralium variè contra communes aliàs regulas juris, primò quidem, ut, qui eas præstitit, præferatur etiam uxori

D d d

dotem

dotem petenti. *cit. l. 18.* Lauterb. *cit. §. 26.* & sumptus illi doti; cum, ut Garc. *l. c.* inhumanum sit maritum jacere insepultum, ut mulier dotem salvam & integram retineat. Secundò legatariis, etiam ubi legata sunt. *Pia. l. 24. c. t.* Covar. *inc. Rainald.* de testam. Muller. *cit. th. 89.* Tertio fideicommissariis; ita ut bona subiecta fideicommissò familiae, aliàs alienari prohibita impensarum funebrium causà alienari possint. Knipschild. *de fideicom. famil. nobil. c. 11. num. 218.* Müll. *l. c.* Quarto qui jus habent detrahendi falcidiam, ita ut ea ante restitutas expensas funeris detrahi nequeat. *§. ult. Inst. de L. falcid.* ibiq; Franck. Quintò ut contra eum excipere nequeat, de non confecto inventario. Roland. à valle *de inventar. p. 113.* Phanuc. *tr. eod. p. 4. n. 36.* Muller. *l. c.* Sextò ut repeti ab eo possint facta citra & contra voluntatem ejus, cujus erat eas facere. Arg. *l. 43. h. t.* Surdus. *cit. decis. 215. n. 25.* Septimò, ut legato accepto impendiri nequeat, quò minus insuper dictas expensas recipere possit. *l. 3. c. h. t.* Müll. *l. c.* Octavò ut gaudeat privilegio retentionis ex bonis hereditariis defuncti, etiam si essent libri scholarium & literarum, qui maximè privilegiati sunt, ut Muller. Extenduntur etiam hæc privilegia sumptuum funeralium ad sumptus factos in curationem infirmi. *l. 4. c. de petit. hered. l. 3. c. h. t.* Negusant. *de pign. p. 5. memb. 2. n. 28.* & DD. *ad Lull. §. 9. c. de jur. deliber.* quorum sumptuum nomine veniunt etiam salaria medicorum & pharmacopolarum. Carpz. *p. 1. c. 28. d. 43.* quin & alimenta tempore morbi, ex quo æger decessit, præbita. Richter. *de privileg. credit. disp. 4. memb. 4. c. 5. n. 28.* & hæc expensæ etiam invito & prohibente ægro factæ repeti possunt, cum ægri nequeant suis privilegiis integrè renunciare. Decius *ad l. 69. de R. 7. n. 2.* Surd. *255. n. 25.* Muller. *l. c. lit. β.* Limitatur tamen etiam hoc privilegium. Primò, ut, qui sumptus hos erogavit, non præferatur iis, qui vel dominium vel hypothecam ratione rei venditæ in rebus creditoris probare possunt. Neque etiam hi sumptus præferantur mercedibus famulorum, ut Muller. *l. c.* Secundò, ut non extendantur nisi ad expensas necessarias, seu sine quibus corpus piè & honestè humari non potuit. *l. 1. §. fin. ad L. falcid.* de quibus judex pro facultatibus & dignitate defuncti arbitrabitur. *l. 14. §. 6. & 10. h. t.* de quo postremo plura *q. seq.*

*Quest. 803. Cui & adversus quem datur hæc actio funeraria?*

1. **R**esp. Ad primum primò in genere: datur hæc actio illis, qui alieni funeris sumptus, sive per se, sive per alium fecerunt, nec illos alia actione repetere possunt. *cit. l. 14. §. 13. & 15.* eorumque hæredibus juxta ordinariam actionum ex contractu vel quasi contractu descendentiæ naturam. Lauterb. *l. c. §. 28.* per *L. 31. §. 2. de relig. & sumpt.* modò tamen animo repetendi & recipiendi hos sumptus fecerit. *cit. l. 14. §. 7.* Franck. *cit. t. num. 27.* Hahn. *ad Wesenb. ibid. n. 6.* Struv. *th. 86. lit. y.* Muller. *ibid.* qui animus in dubio præsumitur. Muller. *l. c. lit. ζ.* secus, si solius pietatis causà id fecerit (non tamen accipitur pietas hic pro ea, quam quilibet habere supponitur, ne corpora insepulta manent, utpote quæ consistere potest cum animo sumptus repetendi, sed denotat misericordiam erga alterum sibi opem ferre non valentem exhibitam, ut dum non sunt ex aliis obligatis ad illos sumptus præstandos, qui illos præstare aut etiam refundere possunt, erogare tamen etiam ex pietate dicuntur propter sanguinis conjunctionem aliamve ar-

etiam conjunctionem. v. g. ab iis, qui aliàs alimenta præstare obligantur, ut Carpz. *p. 2. c. 46. d. 23.* Coler. *de alm. l. 2. c. 1. à num. 10.* Muller. *l. c. lit. v.* & sic animo donandi & ex pietate filium has expensas fecisse in funeratione patris, præsumi stantur. Menoch. *conf. 416. num. 2.* Brunem. *in eod. l. 3. h. t. num. ult.* de hoc tamen, quòd pietatis, misericordiae & affectionis gratià impensum dicitur, judex arbitrabitur. Struv. & Muller. *l. c. lit. n.* dum autem *cit. l. 14. §. 7.* dicitur, oportere funerantem protestari, se id facere animo repetendi sumptus. id oportere non accipi pro absoluta necessitate protestationis, ita ut ea omisà censetur id facere ex mera pietate vel animo donandi, adeoque ei actio repetendi sumptus non competat, ut volunt Hahn & alii apud Muller. *l. c. lit. θ.* Sed pro expedire, opportunum & ruiuisse, interponi hanc protestationem ad facilitatè & sine quaestione seu controversià obtinendam recuperationem factarum expensarum rectius cum Gl. *in cit. §. 7. V. oportebit.* tradunt Zoës. *ibid. num. 8.* Muller. *l. c.* cum aliis à se citatis.

2. **R**esp. Ad primum secundò in specie de aliquibus personis, de quibus fortè dubium esse poterat. competit ea actio primò mandatario, seu quem alius tanquam instrumendum ad faciendos de suo hos sumptus adhibuit. *cit. l. 14. ff. de relig. & sumpt. §. 15.* etiam ei, qui sine tutoris autoritate à pupillo habuit ad hos mandatatum. De quo vide Muller. & quidem mandatario defuncti contra prohibitionem hæredis funerantis. *cit. l. 14. §. 13.* A finius *ibid. num. 11.* Baldus *ad L. ult. c. de negot. gesti. num. 5.* Muller. *cit. th. 86. lit. y.* ita tamen, ut Muller. *l. c. lit. a.* dum prospectum ei est alio remedio. v. g. actione mandati, ordinaria, non sit ei integrum experiri hoc judicio. Secundò marito sumptus impendenti in funus uxoris in casibus nimirum, in quibus eos facere non tenebatur. quos casus vide *resp. seq.* & apud Muller. *l. c. lit. δ.* Tertio sponsus & sponsa, de presenti licet, impensas in alterius funus possunt repetere. Kurrer. *de ad. funer. th. 12.* Muller. *l. c.* Quarto pater in casu, quo filius condito testamento de peculio suo castrensi, vel quasi castrensi exclusò patre, alium instituit hæredem, relicta eidem titulo singulari aut in re certa legitimà aut portione; tunc enim patri, si quid ultra hanc portionem impendit in funus filii, actione funeraria ab hærede recuperare potest. *cit. l. 14. §. fin.* Kurrer. *th. 23.* Muller. *l. c.* quem vide. Quintò hæredi putativo, si victus, in restitutione hereditatis sumptus funebres, quos fecit, non detraxit, repetere is eos potest hac actione, non quidem directà sed utili; quia non funeravit animo, ut alienum, sed ut proprium negotium gereret. *cit. l. 14. §. 11.* Muller. *l. c.* ne hæres verus, cui hoc onus incumbit cum damno putati hæredis fiat locupletior. Sextò Legatario, etiam si rem ipsam legatam impenderit. *l. 3. c. lit. cit. in nota l. ult. §. fin. eodem.* Idem est de fideicommissario particulari, nec non de donatario. Arg. *§. 3. Inst. de legat. §. 1. Inst. de donat. l. ult. de donat. caus.* non obstante, quòd aliàs, quando quid donatur alicui & donatarius vicissim aliquid donat; donanti id animo remunerandi & donationem compensandi fecisse præsumatur. juxta *L. 12. §. 2. ff. mand. dat.* De quo vide Muller. *l. c.* Septimò executoribus ultimarum voluntatum, dum de suis propriis, & non de bonis hereditariis faciunt hos sumptus. Garc. *de expens. c. 8. num. 21.* Octavò usufructuario licet omnium bonorum, funeranti domi-

dominum directum, competit jus & actio sumptus repetendi ab heredibus illius, qui usum fructuum reliquit. Trentacing. l. 1. var. resol. 6. ad rub. de pecul. num. 10. & alii, quos citat & sequitur Muller. l. c. heredem enim sequitur tale as alienum, sumptusque funebres ex hereditate deducuntur juxta l. 4. §. ff. b. r. usufructuarius autem non est successor hereditatis aut juris universi, sed bonorum tantum, & quidem solum quod ad commodum percipiendi fructus. Nonò successor in feudo, si vasallum sepelivit, competit hæc actio ad repetendos sumptus ab heredibus allodialibus defuncti. Mevius p. 2. decis. 124. n. 6. ubi hereditas hæc non est sufficiens honeste sepultura, sumptus hi præstandi ex fructibus feudi à successore in eo, ut Struv. synag. jur. feud. c. 14. th. 20. & alii apud Muller, qualiter autem distinguendum in casu, quo filius patri vel agnatus succedit, vide apud eundem. Idem quod dicitur de successore in feudo, dicendum in successore in fidei commissio vel majoratu, tradunt Gratian, discep. for. tom. 1. c. 94. n. 29. Garc. de expens. c. 16. n. 33. &c. Decimò hospiti, qui in publico divetorio defunctum sepelivit, ita etiam, ut, si defunctus bona attulerit, non teneatur ea restituere, nisi refulis expensis in morbum & funus; incumbente tamen hospiti probatione, saltem per verisimiles conjecturas, quod de suo fecerit illas impensas. Arg. l. 4. c. de petu. hered. Bald. Caltrenf. Salic. Sichard. ibid. Garc. l. c. c. 8. n. 26. Undecimò studioso facienti sumptus in funus contubernalis sui, etiam retentio ejusdem libris, usque dum hi sumptus restituantur. Bald. l. c. n. 2. Sichard. l. c. num. 2. Medices de sepult. p. 2. q. 5. num. 48. Muller. l. c.

3. Resp. Ad secundum: datur hæc actio adversus eos, ad quos spectat cura funeris. ea autem cura ad aliquem ex triplici causa spectare potest. Primò propter jussum testatoris l. 12. §. 4. h. t. dum nimirum quandoque solent nonnullis, etiam in hereditate non succedant, hæc onus imponere; eò quod eorum magis, quam heredum & propinquorum fide & industria confidunt. quibus tamen liberum est, vel hæc testationis voluntatem agnoscere, vel, si quid illis ab eo hoc intuitu relictum, repudiare, & hoc commodo privari. Muller. l. c. th. 87. lit. a. Lauterb. §. 28. juxta cit. l. 12. §. 4. Secundò propter successorem, sic dum testator aliud non disposuerit, datur contra heredes, sive hi ex testamento, sive ab intestato, sive jure civili, sive pratorio succedant. cit. l. 12. item contra fidei commissarium, & quidem in ordine ad omnes expensas recuperandas, si tota hereditas ei restituta, aliàs pro rata partis, in qua successit. l. 1. §. 4. ad sc. Trebel. Muller. l. c. lit. b. cum enim defunctus de suo funerari debeat, æquum est eos, qui ejus bona consequuntur, tale onus ferant; adeoque, si quid non fecerint, sed alius eorum loco, eidem expensæ restituantur. si verò adita nondum est hereditas, sumptus restituendi ex hereditate. Tertiò propter sanguinis conjunctionem, a liamve necessitudinem, quales sunt, qui ad præstanda vivis alimenta obstricti erant; horum enim nomine venire etiam sumptus funebres, ex communi DD. sensu ait Muller. l. c. lit. y. remittens ad Coler. tr. de aliment. l. 2. c. 1. num. 12. & seq. intelligendum tamen hoc ipsum de obstrictis ex dispositione legis, & non de obstrictis ex dispositione hominis, etiam facta in ultima voluntate; cum tales dispositiones sint strictè accipiendæ, & non ultra proprietatem disertorum verborum extendendæ. taliter autem ad alendos filios ex dispositione legis obstringuntur parentes. l. c. c. de infant. expos. l. 4. §. R. P. Lew. Jur. Can. Lib. III.

§. 12. de agnos. & alend. liber. & de contra liberi ad alendos parentes. l. 5. & seq. de jure dot. item fratres ad alendos fratres l. 73. §. 1. eod. ceteros verò consanguineos, etiam nullâ necessitate legis ad præbenda invicem alimenta expressè astringuntur; quia tamen suo modo ex pietate ad id astringuntur, à magistratu tam ad alendum, quam funerandum cogi posse, tradit Coler. 2. l. c. c. 9. num. 27. apud Muller. l. c. sunt tamen & alii obstricti ad præbenda aliquibus alimenta, & consequenter ad præstandos sumptus funebres, puta, socer nurui. Arg. l. 5. §. 12. de agnos. & alend. liber. nurui socero Arg. l. 15. §. fin. & l. 16. solut. matrim. Libertus patrono. cit. l. 5. §. 8. de agnos. & alend. lib. patronus liberto. l. 6. ff. eod. donatarius donanti egeno pro quantitate rei donata. Carpz. p. 2. c. 12. d. 32. Vasallus domino feudi; non quidem ex suo patrimonio, sed ex fructibus feudi, ad dimidium unius anni. Rittershauf. in partit. feud. l. 2. c. 1. num. 90. Stryck. ex am. juris feud. c. 18. q. 33. apud Muller. l. c. & contra dominus dives vasallo egenti. Mynf. cent. 6. obs. 60. Ecclesia patrono. c. 25. de jurep. Gurt. de tutel. p. 3. c. 20. num. 38. unde & cum funerare tenetur. Arg. cit. c. 25. quare hi omnes, si funerales expensas non præstiterint, actione funeraria conveniri possunt ab eo, qui illas præstitit. denique propter arctam necessitudinem funeris sumptus in certis tantum casibus, facere debet maritus in funus uxoris, & vice versa uxor in funus mariti; extra quos casus si eos non fecerit, contra illum facienti illos, non competit actio, sed solum contra eos, qui ad id obligantur. Sic si matrimonium fuerit doratum & maritus dotem ex pacto totam vel partem accepit, pro rata dotis ejusve partis ad eum spectat funerare uxorem, v. g. si in dote sint 100. in hereditate 200. duas partes sumptuum hæres sustinebit, & maritus nam, & consequenter dicta actione pro rata conveniri potest. l. 22. & l. 27. ff. de relig. & sumpt. Lauterb. ibid. §. 29. Muller. th. 86. lit. d. Si vero maritus nihil ex dote lucrifecit, sumptibus funeris nullatenus onerandus. Arg. l. 16. cit. lit. idem est, si stante matrimonio restituit dotem uxori. cit. l. 27. §. 1. aut etiam patri ejus dos restituenda, in quo casu etiam impensas à se factas patri imputare potest tanto minus ex dote restituendo l. 17. §. 29. h. t. si matrimonium fuerit indotatum, impensa spectant ad ejus patrem vel heredes; si verò heredem non habeat, & pater sit mortuus, vel non sit solvendo, tunc demum ad maritum, quantum is facere potest, spectat curare funus uxoris, cum tunc injuriosum videatur ejus quondam uxorem ab eo relinqui insepultam. Garc. de expens. c. 8. num. 46. Lauterb. Muller. LL. cit. per l. 28. h. t. quod autem in hoc puncto constitutum, & hic dictum de marito, rectè propter identitatem rationis extenditur quoque ad uxorem Carpz. p. 3. c. 25. d. 7. Lauterb. cit. §. 29. Porro societate bonorum inter conjuges contractâ sumptus in funus mariti vel uxoris, si aliud non fuit conventum, aut jure constitutum, vel consuetudine receptum, non ex quæstu conjugali communi, sed ex parte defuncti, aut propriis ejusdem bonis desumendi. Lauterb. l. c. Muller. cit. th. 87. lit. d. Arg. l. 14. §. 1. h. t. ubi dicitur: de suo enim expedit mortuos sepelire. & l. 4. §. 59. 63. ff. pro socio. De ceterò qui pauperem nihil habentem suis sumptibus funerat, regulariter contra nullum actionem funerariam habet, tametsi incumbat magistratui curare, ne insepultus jaceat. Muller. l. c.

Quæst. 804. Ad quid datur hæc actio funeraria?

1. Resp. Primò in genere: datur hæc actio ad recuperandos sumptus factos in funus, sine quibus illud honestè curari & deduci nequivit, observatio in iis modo legitimo, ita ut spectatà dignitate & facultatibus defuncti, locique consuetudine, (de quo iudex arbitrabitur) neque in excessu neque in defectu peccatum fuerit. *L. 12. §. 5. L. 14. §. 4. §. 5. §. 6. ff. de relig. & sumpti. fun.* Struv. *ibid. th. 88.* Lauterb. §. 32. *Garc. l. c. c. 8. num. 2.* unde si supervacuos & immoderatos sumptus impenderit, v.g. cada-ver involutum veste holoserica unà cum annulis aureis, aliisque pretiosis ornamentis sepeliendo (in quo tamen illustribus personis indulgendum quid) nulla eorum habetur ratio, eosque solum, quos impendere debuit, repetendi habebit actionem, ita ut talis excessus poena sit iactura cæterorum *L. 14. §. 9. h. t.* Brunem. *ibid. num. 9.* & *Afinius vers. quid ergo.* Lauterb. *l. c.* Kurrer. *l. c. th. 44.* & alii, quos citat & cum communi sequitur Muller. *l. c. th. 88. lit. β.* Et hæc etiam si testator istiusmodi luxum adhiberi iusserit; ejus enim voluntas (etsi aliàs religiose servanda) in hoc inepta, utpote quæ vivis nocet, & mortuis non prodest, justè & impunè contemnitur ab hærede. *Arg. L. 113. §. fin. ff. de legat. 1. L. 40. §. fin. aur. & arg. Legat. Rebuff. de sent. provision. in præfat. n. 50. in fin.* Afin. Lauterb. Mull. *LL. cit.* quin & creditorem audiendum esse; qui non tam sepulturam quàm luxum & pompam impedire cupit; dum nimirum hæres ultra facultates in funus impenderet ait, apud Lauterb. *Frider. de interdito l. 2. n. 31. & seq.* Econtra quoque sumptus nimis modici, qui potius in contumeliam, quàm honorem mortui cedunt repeti nequeunt. *cit. l. 14. §. 6. & 10.* Afin. *ibid. l. c.* Rebuff. *l. c. n. 52.* Lauterb. Muller. *LL. cit.*

2. Resp. Secundo circa quædam in specie: his sumptibus, ad quos datur hæc actio, accensetur primò pretium loci, in quo sepelitur defunctus, dum nimirum is forte locum non habet sepulturæ, & curam funeris suscipiens locum purum, hoc est, in quo necdum quisquam sepultus est, aut jus inferendi defunctum in sepulchrum alterius pretio comparasset, *L. 7. cit. 1. & Brunem. ibid. Kurrer. l. c. th. 34.* Muller. *cit. th. 88. lit. a.* Secus est de expensis, quas funerans, dum defunctus jam habebat sepulchrum majorum, & aliud à se constitutum, eo præterito, locum alium coëmat. *Arg. L. 1. ff. ad leg. aquil. & cit. L. 14. §. 3. h. t.* ubi ad reposcendas expensas in comparationem sepulchri requiritur necessitas ejusdem acquirendi. Unde idem est, si præterito camiterio, ubi hodie dum gratis conceditur sepultura, funerans alibi titulo oneroso compararet sepulchrum; nisi forte dignitas defuncti exigeret sepulturam extra talem locum communem *Carpz. Jurisp. confistor. def. 391. n. 11.* Muller. *l. c.* Secundo expensæ ex more recepto factæ cum moderamine in positionem lapidis sepulchralis, exstructione monumenti epitaphiorum

& similibus pro honore defuncti; quod tamen inspecta stricta ratione pluribus adductis rationibus pro diveritate inter sumptus factos in hujusmodi monumenta & Epitaphia & factos in ipsum sepulchrum & funus. negat Finckelth. apud Mullerum *l. c.* quem desuper vide. Tertio pretium sacrophagi & panni nigri, quo is infernitur, parietesque templi vestiuntur. Si coëmendus, vel aliàs pro accommodatione illius datum. Muller. *l. c.* idem est de coronis & floribus sericis feretro exornando concessis. Quarto vestes, linteamina, quibus corpora involvuntur aliaque ornamenta, quibuscum ea juxta morem regionum sepeliuntur, uti Archiepiscopi cum pallio juxta *c. 2. de auctor. & usupall.* Aliique prælati in habitu Ecclesiastico sepeliri debent. Vestes item lugubres quæ famulis defuncti & in specie fascia pepla cognatis proximis ex more aliquorum locorum & portitoribus funeris dari solent. Lauterb. §. 31. quamvis ea, quæ in hac parte solum ad honorem fieri solent nomine sumptuum funeralium de jure communi venite negent *Carpz. p. 1. c. 28. d. 41. num. 3.* *Garc. l. c. c. 8. n. 8. & 12.* Quinto quæ dantur Clericis, aliisque ministris Ecclesiæ, magistris, scholaribus funus comitantibus, aditio, portitoribus compulsores campanarum, vespillionibus. Mull. *l. c.* *Arg. cit. c. 14. §. 3. & 6.* Sexto quod impeditur pro vectura cadaveris ad sepulturam, qualiter ad eam corpora personarum illustrium stanneis inclusa capulis devehuntur. quò etiam spectat vectura, quæ corpus peregrè defuncti in patriam tumulandum deferretur. *cit. l. 14. §. 4.* Kurrer. *th. 39.* *Surd. decif. 255. num. 27.* Muller. *l. c.* Septimo quod datur habenti concionem seu orationem pro cuiusque loci consuetudine. *cit. l. 14. §. 3. 4. 6.* Afin. *ibid. n. 3.* *Carpz. J. F. p. 1. c. 28. d. 41.* Berlich. *p. 1. concl. 64. num. 6.* Lauterb. §. 31. Mull. *l. c.* His denique, non quidem stricto jure hodie dum annumerantur salaria medicorum, chirurgorum, aliorum sumptus in morbum ultimum, quo decessit defunctus, de quibus supra Berlich. *Carpz. LL. cit.* Lauterb. §. 33. Porro ad hanc actionem intentandam potissimum probari debet realis sumptuum funebrium erogatio, quò fieri potest per instrumenta & testes, & his deficientibus, per privatam specificationem, ad quod unumquodque sit impensum, editam per funerantem, etsi exigui & probabiles, conjecturam verisimilem arbitrio boni viri committendam, adhibito etiam juramento suppletorio, oblato à iudice vel ex officio ad instantiam partis *Arg. l. 3. c. de rebus dubiis & c. fin. de jure jurand.* idque propter religionem funeris, in qua fides exsuperat *juxta cit. l. 14. §. 6.* ita Muller. *th. 88. lit. y. in fine* cit. aliis Berlich. *ubi ante n. 92. & 102.* *Carpz. l. c. n. 46.* Eam etiam actionem; cum sumptus illi religiosi non sint, neque ex re Ecclesiastica, sed ex quodam quasi contractu, instituendam coram iudice seculari, etsi de ipso jure sepeliendi, juxta *c. non estimamus. caus. 13. q. 2.* agendum coram iudice Ecclesiastico, astruunt *Carpz. Jur. confistor. l. 2. d. 390. num. 1.* Lauterb. §. 34. Muller. *l. c.*

## TITULUS XXIX.

### De Parochiis & alienis Parochianis.

Quæ ad hunc titulum ab AA. quæri & tractari solent, vide tractata fusè & accuratè à me in foro benesic. *al. p. 1. à quæst. 144.* vide quoque ejusdem par-

tis indicem, *V. parochia & parochialis Ecclesia & v. parochus.*

TITU-